

SPECIMEN EXAMINIS ORDINANDORUM

EDITIO QUINTA POST CODICEM I. C.
NOVISSIMIS APOSTOLICAE SEDIS ACTIS
CONFORMATA



EDIZIONI LITURGICHE
Via Pompeo Magno, 21
ROMA

EDIZIONI « DIVUS THOMAS »
Collegio Alberoni
PIACENZA

1957

SPECIMEN EXAMINIS
ORDINANDORUM



NIHIL OBSTAT: ALOISIUS PALADINI, C.M. - IMPRIMI POTEST:
ALOISIUS BETTA, C.M., VISIT. PROV. - IMPRIMATUR: E VICA-
RIATU URBIS, DIE 10 DECEMBRIS 1956 † ALOISIUS TRAGLIA,
ARCHIEP. CAESARIEN., VICESGERENS.

Quae de essentia, effectibus, muneribus et officiis singulorum ordinum scire necesse est, et quae sint requisita in ordinando ut ad eos promoveatur, et quae agenda in ipsa ordinum susceptione, in hac Summula collecta inveniuntur; additis insuper ritibus pro ordinibus conferendis ex Pontificali Romano et nonnullis aliis in immediatum ordinandorum usum.

In conficiendo hoc parvulo opere large usi sumus libello, cui idem titulus Specimen examinis ordinandorum, ab Antonio Silva sacerdote placentino (1795-1881) concinato vel ab anno 1831, indeque pluries edito. Et hanc agendi rationem sequendam duximus, ne penitus interiret opus quod tanto tempore dioecesibus antiqui ducatus Farnesiani (Parmae, Placentiae et Vastallae) utiliter inser-vivit.

Hanc quintam post Codicem I. C. editionem eidem Codici et novissimis Apostolicae Sedis Actis conformare, quin etiam expolire passimque meliore ordine disponere curavimus. Discedere vero — iuxta quorumdam votum — a pristina brevitate ac methodo ut historicis et asceticis explanationibus amplius indulgeremus, alienum duximus ab operis indole eiusque fine, praebendi nempe subsidium aliquod in huiusmodi periclitationibus ad ordines.

Ceterum avemus ut, auspice Immaculata Virgine, haec opella, ubique late diffusa, optimis adolescentibus, qui in sacris Asceteriis ad sacerdotium aspirant, utilis esse possit.

12,863

« Manus cito nemini imposueris ».

1 Tim., V, 22.

« Non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna praecessit exactissimaque discussio, tunc imposito manus ».

S. Io. Chrys., *Hom. XVI in Ep. ad Timoth.*

« Quid est cito manus imponere nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae sacerdotalem honorem tribuere non probatis »?

S. Leo M., *Ep. 2, alias 1.*

« Nullus igitur ad sacra Dei mysteria tractanda veniat illotus aliquis, aut ignorantiae tenebris caecutiens; sed solus is accedat quem morum innocentia et litterarum splendor reddunt illustrem. Aliter ordinaturis et ordinandis imminet... Dei et eius Ecclesiae vindicta ».

Conc. Tol. VIII, can 8 ex coll. Hard.

BIBLIOGRAPHIA

- F. INCARNATO, *Scrutinium sacerdotale, sive modus examinandi tam in Visitatione Episcopali, quam in susceptione Ordinum.* Romae, ap. F. Caballum, 1652.
- Enchiridion ecclesiasticum de praecipuis clericorum officiis ac virtutibus.* Romae, Typis F. Tizzoni, 1676-1677.
- Saggi di dottrina, d'erudizione e di morale appartenenti alle sacre ordinazioni ecc.* Per F. G. INCONTRI, Arcivesc. di Firenze. Firenze, Tip. Arcivescovile. Meütke, 1766.
- Institutiones ordinandorum pro Clero Sabinensi.* Romae, Typis O. Puccinelli, 1769.
- U. CASSINA, *Clericorum Enchiridion.* Augustae Taurinorum, I. M. Briolus, 1790.
- A. TOGNI, C.R. Infirm. Ministr., *Instructio pro iis qui sunt examen subituri ut ad ecclesiasticos ordines promoveantur etc.,* Romae, Perego-Salvioni, 1824.
- Examen ordinandorum, seu THOMAE FRANCISCI ROTARIJ Apparatus, quem notis illustravit PHILIPPUS ANDREOTTI, Cl. Reg. S. Pauli.* Bononiae, Gamberini et Parmeggiani, 1827.
- Catechismus ordinandorum ad usum dioecesis Mediolanensis.* Mediolani, Typ. Pogliani, 1837.
- Manuale ordinandorum...* Editio nova a Superioribus Sem. S. Sulpitii locupletata et accuratius emendata. Paris, Typ. J. Lecoffre, 1865.
- De sacrificio Missae, ex opere Benedicti XIV P. M. Enchiridion.* Romae, Typ. S. C. de Prop. Fide, 1869.
- G. FORMISANO, *Istituzioni per gli ordinandi.* Napoli, « Ancora », 1889.
- G. PECORARI, *Manuale ordinandorum, cum ritu ex Pontificati Romano de ordinibus conferendis.* Romae, Typ. Socialis, 1900.
- P. DE AMICIS, P. d. M., *L'Alunno del Santuario guidato nelle sacre ordinazioni.* Torino, Tip. Artigianelli, 1901.
- R. CODINA, C. M., *Expositio ascetico-moralis Pontificalis Romani, titulo de collatione sacramenti Ordinis.* Martiri, Typ. S. Francisci Salesii, 1908.
- Card. G. VAN ROSSUM, C. SS. R., *De essentia sacramenti*

- Ordinis disquisitio theologica.* Friburgi Brisgoviae, Herder. Editio altera, s. d.
- J. RODER - M. BELLI, *Ordinandorum Enchiridion.* Neapoli, D'Auria, 1928.
- A. MITTERER, *Instructio pro ordinandis examen circa Ordinem suscipiendum subituris.* Brixinae. Weger, 1929.
- A. TOGNI - C. DE CARLO, M. I., *Instructio pro Tonsuram et Ordines recepturis.* Romae, Desclée, 1929.
- G. G. OLIER, *Gli Ordini sacri.* Traduzione di M. GENUARDI, Torino, Tip. Romano 1885, idem di M. MANZOTTI, Roma, S. A. L. E. S., 1932.
- A. CANCE, P. S. S., *A tonsura ad presbyteratum. De canonico ordinandorum examine et de recta Ordinum collatione.* Parisiis, Gabalda, 1933.
- R. DUBOSQ, P. S. S., *Les étapes du Sacerdoce.* Paris-Rome, Desclée et C., 1933.
- Card. D. JORIO, *Sacerdos alter Christus. De Instructione pro scrutinio ad Ordines peragendo Commentarius.* Romae, S. I. A. G., 1934.
- F. X. HECHT, P. S. M., *De reparandis defectibus in collatione Ordinum occurrentibus (ex Periodica de re morali etc., 1934, pp. 73-111).* Romae 1934.
- C. CARBONE, *Praxis ordinandorum ad canones I. C. redacta etc.* Taurini, Typ. Marietti, 1937.
- P. IRENAEUS, C. P., *Institutiones iuvenum candidatorum ad s. ordinationem.* Romae, ad Scalas Sanctas, 1937.
- Card. E. DALLA COSTA, *Videte vocationem vestram. Agli alunni dei miei Seminari.* Firenze, Libr. Ed. Fiorentina, 1938.
- S. C. DE SEMINARIIS, *Enchiridion clericorum. Documenta Ecclesiae sacrorum alumnis instituendis.* Typis Polygl. Vaticanis, 1938.
- D. MUNERATI, S. S., *Promptuarium pro ordinandis et confessariis examinandis.* Romae, Typ. Salesiana, 1938.
- PIUS PP. XII, *Litt. Encycl. « Mediator Dei », De sacra Liturgia,* 20 nov. 1947.
- PIUS PP. XII, *Constit. Ap. « Sacramentum Ordinis »,* 30 nov. 1947.
- PIUS PP. XII, *Exhortatio Ap. « Menti nostrae »,* 23 sept. 1950.
- S. C. RITUUM, *Variationes in rubricis Pontificalis Romani inserendae,* 20 febr. 1950.

INDEX ANALYTICUS RERUM

EXAMEN ORDINANDORUM

PARS I

De Statu clericali, deque ritu ingrediendi in eum
(n. 1-102)

	PAG.
Caput I. De statu clericali (n. 1-54)	3
§ 1. De divina ad statum clericalem vocatione (n. 5-25)	4
§ 2. De scrutinio canonico ordinandorum (n. 26-33)	9
§ 3. De iis quae sunt ad clericalem statum im- pedimento (n. 34-54)	12
Caput II. De prima tonsura qua fit ad statum cle- ricalem ingressus (n. 55-72)	20
Caput III. De clericorum iuribus et privilegiis eo- rumdemque officii (n. 73-91)	25
Appendix. De censuris (n. 92-102)	31

PARS II

De sacra ordinatione et de ordinibus in communi
(n. 103-164)

Caput I. De sacrae ordinationis indole (n. 103-121)	35
Caput II. De valida sacrae ordinationis receptione (n. 122-130)	39
Caput III. De licita sacrae ordinationis receptione (n. 131-149)	43
Caput IV. De praevis ad sacram ordinationem (nu- mer. 150-157)	49
Caput V. De defectibus in sacra ordinatione occur- rentibus (n. 158-164)	52

PARS III

De minoribus ordinibus (n. 165-210)

	PAG.
Caput I. De ordinibus minoribus in communi (numer. 165-175)	55
Caput II. De minoribus ordinibus singillatim (numer. 176-210)	59
Art. I. De ostiariatu (n. 176-184)	59
Art. II. De lectoratu (n. 185-191)	62
Art. III. De exorcistatu (n. 192-200)	64
Art. IV. De acolythatu (n. 201-210)	66

PARS IV

De maioribus ordinibus (n. 211-359)

Caput I. De maioribus ordinibus in communi (numer. 211-214)	70
§ 1. De obligatione perpetuae continentiae (numer. 215-223)	72
§ 2. De recitatione horarum canonicarum (numer. 224-242)	74
§ 3. De titulo ordinationis (n. 243-255)	79
Caput II. De maioribus ordinibus in specie (numer. 256-359)	82
Art. I. De sacro subdiaconatus ordine (n. 256-267)	82
Art. II. De sacro atque hierarchico diaconatus ordine (n. 268-288)	86
Art. III. De sacro atque hierarchico presbyteratus ordine (n. 289-307)	92
§ 1. De potestate praedicandi et baptizandi (n. 308-317)	100
§ 2. De potestate benedicendi et praesidendi (n. 318-325)	103
§ 3. De potestate remittendi aut retinendi peccata (n. 326-335)	105
Absolutionis forma communis	108
§ 4. De potestate administrandi extremam unctionem (n. 336-344)	109
§ 5. De potestate consecrandi, offerendi et ministrandi Eucharistiam (n. 345-359)	112

PARS V

De sacrificio Missae (n. 360-485)

	PAG.
Caput I. De natura et partibus Missae (n. 360-377)	118
Caput II. De Missae valore et fructibus (n. 378-390)	123
Caput III. De materia pro sacrificio adhibenda (n. 391-403)	127
Caput IV. De forma pro sacrificio conficiendo (numer. 404-414)	130
Caput V. De Missae ritibus (n. 415-458)	133
§ 1. De ritibus iuris divini (n. 420-437)	134
§ 2. De ritibus iuris ecclesiastici (n. 438-458)	139
Caput VI. De dispositionibus celebrantis Missam (n. 459-468)	144
Caput VII. De stipendio Missarum (n. 469-485)	146
MANTISSA. De simonia (n. 486-500)	152

APPENDIX I

SYNOPSIS RITUUM STABILIVM IN CELEBRATIONE MISSAE

I. Praeparatio	159
II. Orationes recitandae ad vestes sacras	160
III. Ingressus ad altare	161
IV. In Missa	162
V. In Missis defunctorum	172

APPENDIX II

DOCUMENTA ET FORMULAE

I. Documenta exhibenda a clericis saecularibus et a religiosis qui saecularium iure reguntur	173
II. Inquisitiones pro scrutinio canonico	174
III. Postulatio litterarum testimonialium	176
IV. Postulatio ordinationum	177

XIV INDEX ANALYTICUS RERUM

	PAG.
V. Iusiurandum ad normam can. 956	178
VI. Iusiurandum ad normam can. 981, § 1	178
VII. Testimonia de studiis peractis	179
VIII. Declaratio a candidatis in singulis sacris ordinibus subscribenda	179
IX. Eadem declaratio pro candidatis ad subdiaconatum, pertinentibus ad aliquem Ordinem seu Congregationem	181
X. Litterae testimoniales pro Religiosis non exemptis.	182
INDEX ALPHABETICUS	185
RITUS PRO ORDINIBUS CONFERENDIS.	[1-81]

MATERIAE DISTRIBUTIO PRO EXAMINE

	n.	p.
ad tonsuram	1-91	3-30
ad ostiariatum et lectoratum	103-164 165-175 176-191	35-54 55-59 59-64
ad exorcistatum et acolythatum	103-164 165-175 192-210	35-54 55-59 64-69
ad subdiaconatum	92-102 211-255 256-267 480-500	31-34 70-82 82-86 152-155
ad diaconatum	211-255 268-288	70-82 86-92
ad presbyteratum	289-359 360-485	92-117 118-151

BIBLIOTHECA SANCTI PETRI

1. <i>Deus</i>	1. <i>Deus</i>	1. <i>Deus</i>	1. <i>Deus</i>
2. <i>Deus</i>	2. <i>Deus</i>	2. <i>Deus</i>	2. <i>Deus</i>
3. <i>Deus</i>	3. <i>Deus</i>	3. <i>Deus</i>	3. <i>Deus</i>
4. <i>Deus</i>	4. <i>Deus</i>	4. <i>Deus</i>	4. <i>Deus</i>
5. <i>Deus</i>	5. <i>Deus</i>	5. <i>Deus</i>	5. <i>Deus</i>
6. <i>Deus</i>	6. <i>Deus</i>	6. <i>Deus</i>	6. <i>Deus</i>
7. <i>Deus</i>	7. <i>Deus</i>	7. <i>Deus</i>	7. <i>Deus</i>
8. <i>Deus</i>	8. <i>Deus</i>	8. <i>Deus</i>	8. <i>Deus</i>
9. <i>Deus</i>	9. <i>Deus</i>	9. <i>Deus</i>	9. <i>Deus</i>
10. <i>Deus</i>	10. <i>Deus</i>	10. <i>Deus</i>	10. <i>Deus</i>

EXAMEN ORDINANDORUM

1. *Specimen examinis*

LIBRARIUS
SALIS SANCTI PETRI

PARS I
DE STATU CLERICALI
DEQUE RITU INGREDIENDI IN EUM

CAPUT I
DE STATU CLERICALI

1. Q. *Quandoquidem statum clericalem ingredi cupis, dic quid sit status clericalis?*

R. Est status¹ in Ecclesia existens et divina ordinatione a statu laicali distinctus,² in quo clericus, saecularibus curis abdicatis, ad fidelium regimen et ad divini cultus ministerium rite deputatur.³

2. Q. *Qui, curis huius saeculi abdicatis, Dei servitio se mancipant quare vocantur clerici?*

R. Propterea vocantur clerici⁴ vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars clericorum est.⁵

¹ *Status*, communiter acceptus, est firma rerum conditio qua quis, in suo esse constitutus, ad suum ordinatur finem.

² Can. 107; Conc. Trid., sess. XXIII, can. 4.

³ Can. 108, § 1.

⁴ Ex graeco vocabulo κληρος, latine *sors*. Conc. Trid., sess. XXII, cap. I De reform.

⁵ S. Hieronym. ad Nepot., initio. *Laicorum* voce (λαός, latine *plebs*) ceteri designantur fideles, qui ad peculiarem Dei cultum et altaris ministerium non sunt destinati, sed vitam civilem et actuosam agunt.

3. Q. *Omnibus ne patet ad statum clericalem aditus?*

R. Minime gentium, sed viris baptizatis tantum, qui divinitus vocati atque ad normam sacrorum canonum debitis qualitatibus, Ordinarii iudicio, praediti, nulla irregularitate aliove impedimento detinentur.⁶

4. Q. *Quare dixisti viris baptizatis tantum?*

R. Quia feminae et infideles, ex divina institutione, sub nullitatis poena, ab ordinibus recipiendis excluduntur.⁷

§ I - DE DIVINA AD STATUM CLERICALEM
VOCATIONE

5. Q. *Vere ne ad huius status electionem necessaria est divina vocatio?*

R. Maxime quidem, quum Christus dicat: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos;*⁸ et Paulus: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*⁹

6. Q. *Quid est in subiecta re divina vocatio?*

R. Est actus quo Deus aliquos prae aliis eligit ad sacerdotium.¹⁰

⁶ Can. 968, § 1.

⁷ Ut mares qui ad usum rationis pervenerint valide ordinentur, requiritur intentio saltem virtualis; ut licite, libertas. Infantes vero et omnes qui usu rationis careant, valide quidem, sed illicite ordinantur. BENEDICTUS XIV, Bulla « Eo quamvis », d. d. 4 maii 1745, § 20.

⁸ Io., XV, 16.

⁹ Hebr., V, 4; his adde: *Vocavit ad se quos voluit ipse*, Marc. III, 13.

¹⁰ Cat. Rom., *De Ordine*, cap. VII, § 3. Dei autem vocationi respondet vera vocatio interna (quam candidatus ad ordines in se experitur).

7. Q. *Quaenam sunt praecipua vocationis signa, seu indicia?*

R. 1^o *Idoneitas* ad sacras functiones obundas;

2^o *recta intentio* recipiendi ordinem, qualis a Christo Iesu est institutus;

3^o *vocatio* episcopalis, seu *canonica*.

8. Q. *Quid est idoneitas?*

R. Est sufficiens tum corporis ad ecclesiasticas functiones, tum animi ad sacras disciplinas addiscendas et munia exercenda aptitudo, vitaeque sanctimonia, iuxta verba Christi: *Vos estis lux mundi..., vos estis sal terrae...*¹¹

9. Q. *Quomodo idoneitas comprobari potest?*

R. Per eam vitae probitatem doctrinaeque sufficientiam, quae spem fundatam faciant, fore ut quis sacerdotii munera obire ac obligationes servare queat.¹²

10. Q. *Quanam autem ratione vitae probitas demonstratur?*

R. Demonstratur complexu virtutum, quibus candidatus laicis praecellere debet.

11. Q. *Quaenam praesertim virtutes?*

R. Humilitas,¹³ castitas, pietas, operositas et zelus: quibus omnibus caritas accedere, imo praesidere debet.

¹¹ Matt., V, 13. Brevi, triplex est idoneitas: physica, intellectualis et moralis, et in dotibus naturae simul et gratiae reposita est.

¹² Cfr. *Acta Ap. Sed.*, 1912, p. 485.

¹³ « Aio, omnem superbum, ut ad coeli gloriam, ita ad sacerdotium omnino vocari non posse ». Card. E. DALLA COSTA, *Videte vocationem vestram*, p. 11.

12. Q. *Quisnam rectam intentionem habere dicendus est?*

R. Ille qui statum clericalem appetit ob finem promovendi Dei gloriam et salutem animarum,¹⁴ iuxta illud: *Ego elegi vos ut eatis et fructum afferatis.*¹⁵

13. Q. *Quid est inclinatio?*

R. Est illa prona voluntas qua quis libenter fertur ad omnia ecclesiastica munera adimplenda, purissima intentione promovendi gloriam Dei et salutem animarum.¹⁶

14. Q. *Quodnam vocationis signum est inclinatio?*

R. Est signum ordinarium, rectae intentioni aequiparandum: cui tamen addit pronam voluntatem et libentem animum in assecutione finis sacerdotii proprii.

15. Q. *Quid est aspiratio, quam quidam experiuntur, ad sacerdotium?*

R. Est aliquid ab extra proveniens, seu vehemens attractio, ex actione Spiritus Sancti in voluntatem, qua quis invitatur, seu potius impellitur ad sacerdotium.

16. Q. *Aspiratio est ne signum vocationis?*

R. Est quidem vocationis signum, sed non necessarium et de lege ordinaria, cum ad vocationem nihil plus requiratur quam recta intentio et idoneitas.¹⁷

¹⁴ Hoc fine statui clericali essentiali sibi proposito, accidentales non reprobantur, dummodo sint honesti, non repugnantes sacerdotio et secundarii.

¹⁵ Io., XV, 16.

¹⁶ Card. D. IORIO, *Sacerdos alter Christus*, p. 38.

¹⁷ Cfr. *Acta Ap. Sed.*, 1912, p. 485.

17. Q. *Quid rei, si quis absque necessariis signis, clericatum assumere vellet?*

R. Is valde reprehensibilis esset, ob praesumptionem ingrediendi sanctuarium contra Dei voluntatem et ob grave periculum, cui se exponeret, damnationis aeternae.

18. Q. *Quosnam ad clericalem statum non vocatos dixeris?*

R. Eos certe, utpote spiritus ecclesiastici expertes, qui superbiae student, vel turpibus sunt assueti;¹⁸ qui non sua sponte sed vi coacti et ut morem parentibus gerant, aut non recta intentione suscipiunt statum ecclesiasticum, sed solum ut commodam vitam agant, vel aliquod beneficium captent, vel etiam cum intentione non ascendendi ad alios ordines, sed postea redeundi ad saecularia vota.¹⁹

19. Q. *Quid intelligis nomine spiritus ecclesiastici?*

R. Intelligo illam animi dispositionem, complexu virtutum efformatam, qua quis, veluti quadam natura praeditus, ad ea quae divina ministeria spectant ultro et expedite fertur.

20. Q. *Quid est vocatio canonica?*

R. Est alicuius ad statum clericalem assumptio a Superiore ecclesiastico facta.

21. Q. *In quo est eius cum divina vocatione relatio?*

¹⁸ Hos nisi post longi temporis, unius saltem anni non inferius probationem, ad ordines accedere nefas erit.

¹⁹ « Quo quidem hominum genere nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiae Dei calamitosius esse potest ». Cat. Rom., p. II, cap. VII, *De Ord. Sacramento*.

R. In hoc, quod est potissimum divinae vocationis signum, ut nemo ius ullum ad ordinationem habeat ante liberam Episcopi electionem.²⁰

22. Q. *Sed quare vocationem canonicam dixisti potissimum vocationis signum?*

R. Quia ille tantum proprie a Deo vocatus dici debet qui ab Ecclesia, Dei auctoritate, vocatur; qui vero alia via sanctuarium ingredi praesumpserit is fur et latro habendus est.²¹

23. Q. *Num igitur cetera vocationis indicia posthabenda erunt?*

R. Imo sunt magni habenda, veluti conditio, seu qualificatio ex parte ordinandi requisita, ut ab Episcopo rite vocetur; sed vocatio ad sacerdotium re stat in Episcopi libera electione: quos enim Deus eligere vult, per Ecclesiam tantum eligere statuit.²²

24. Q. *Quae media sunt adhibenda ad vocationem dignoscendam?*

R. 1° Iugis ac fervens ad Deum oratio;

2° praxis Dei voluntatem in omnibus quaerendi et implendi;

3° consilium virorum prudentium, praecipue vero proprii Ordinarii et confessoris, seu conscientiae moderatoris.

²⁰ Cfr. *Acta Ap. Sed.*, 1912, p. 485.

²¹ Conc. Trid., sess. XXIII, cap. IV.

²² Ex his infer, pro ordinatione non sufficere divinam vocationem ordinariam sine Episcopi electione, neque electionem Episcopi sine divina vocatione, sed utrumque requiri. Cfr. Card. D. IORIO, *op. c.*, p. 45.

25. Q. *Aliis verbis, Episcopi electio quamnam vocationem constituit?*

R. Episcopi electio vocationem formalem constituit, cetera signa vocationem materiale, seu vocabilitatem, quae communiter dicitur vocatio clericalis.

§ 2 - DE SCRUTINIO CANONICO ORDINANDORUM²³

26. Q. *Quid est scrutinium canonicum ordinandorum?*

R. Est diligens et absoluta inquisitio, iure statuta, de conversatione et moribus ordinandorum.

27. Q. *Quo fine praescribitur scrutinium?*

R. Ad hoc praecipue, ut nonnisi idonei admittantur ad ordines, inepti vero seu non vocati ne ad tonsuram quidem et minores ordines admittantur, sed illico eiiciantur.

28. Q. *Ubinam et a quibus colliges elementa iudicii ferendi?*

R. 1° In *seminario*, a moderatoribus, praefectis, magistris et deputatis disciplinae tuendae;

2° in *loco commorationis* familiae ordinandorum, a parrocho, aliisque ecclesiasticis viris et a probis viris saecularibus;

3° ex ipsorum *candidatorum* interrogatione, ab Episcopo per se vel per alium facta.

²³ Cfr. Instr. S. C. Sacram. d. d. 27 decem. 1930, *Acta Ap. Sed.*, 1931, p. 120; Instr. S. C. de Relig., d. d. 10 decem. 1931, *Acta Ap. Sed.*, 1932, p. 74.

29. Q. *Ante quosnam ordines habendum est scrutinium?*

R. 1º Certe ante primam tonsuram et ordines minores simul sumptos, et ante subdiaconatum;

2º quandoque etiam ante diaconatum et presbyteratum, si nempe ex novis adiunctis de candidati proposito, idoneitate, vocatione dubium forte subeat.

30. Q. *Quid ad rem praestare debent superiores Religiosorum?*

R. 1º Nullum de suis subditis ad tonsuram et minores ordines admittant, nisi prius testimonia exquisierint ac sedulo perpenderit, ipsosque candidatos interrogaverint de eorum plena libertate et scientia in ordinibus appetendis;

2º novam inquisitionem ante subdiaconatum instituant;

3º ante diaconatum vero et presbyteratum, si quid novi interim acciderit, indagine peracta et prudentum consilio adhibito, rem deferant ad Apostolicam Sedem.²⁴

31. Q. *Quid faciendum, post omnes inquisitiones peractas?*

R. Quavis inquisitione felici exitu peracta, superiores sive saeculares sive religiosi, litteras dimissoriales vel testimoniales concedant, in quibus de omnibus Episcopo ordinanti testentur.

²⁴ Non omnes inquisitiones faciendae sunt in singulis casibus, sed illae tantum quae ad ordinandi mores et vitam cognoscenda sufficiunt.

32. Q. *Quid vero ad hanc rem requiritur ex parte ordinandi de clero dioecesano?*

R. 1º Ante primam tonsuram et ordines minores simul, *petitio* manu sua exarata et subscripta, suo Superiori exhibenda, qua candide significet se libera omnino voluntate atque spontanea ad ordines accedere;

2º ante singulos ordines maiores, *declaratio* sua manu scripta, obsignata et iuramento firmata, qua fateatur se omnimoda libertate ad ordinem accedere, riteque perspecta habere omnia onera eidem adnexa.

33. Q. *Quid vero praestare debet initiandus de clero religioso?*

R. 1º Ante primam tonsuram et minores simul ordines, *petitionem* scripto factam superiori suo deferat,²⁵ in qua testificetur de sua ad religionem et clericatum vocatione deque firmo proposito in eadem perseverandi;

2º ante subdiaconatum, *testificationem*, intuitu subsecuturae ordinationis, superiori exhibeat manu propria subscriptam et iuramento firmatam, qua fateatur se omnimoda libertate ad sacrum accedere ordinem riteque perspecta habere onera eidem adnexa.²⁶

²⁵ Id vero ante professionem votorum temporalium, quae promotionem ad tonsuram et ordines minores omnino praecedere debet.

²⁶ Haec testificatio praemitti debet emissioni votorum solemnium.

§ 3 - DE IIS QUAE SUNT AD CLERICALEM STATUM
IMPEDIMENTO ²⁷

34. Q. *Quot, ad clericalem statum, impedimenta distinguuntur?*

R. Duo: *impedimenta perpetua*, seu irregularitates, et *temporanea*, seu impedimenta simplicia. Distinguuntur etiam impedimenta *praecedentia* et *subsequentia* ad ordinationem.

35. Q. *Quid venit nomine irregularitatum?*

R. Veniunt impedimenta ex se perpetua, in divinatorum reverentiam iure constituta, quibus qui detinetur a susceptione ordinum vel ab exercitio in susceptis prohibetur.

36. Q. *Quotuplici ratione potest quispiam irregularitate innodari?*

R. 1° Irregularitate *totali*, quae excludit ab omni ordinum susceptione aut usu, imo ab ipsa tonsura, uti homicidium;

2° irregularitate *partiali*, quae privat ascensu ad superiores ordines, non vero exercitio totali vel saltem partiali ordinis suscepti, ex. gr. caecitas.

37. Q. *Quotuplici ex capite desumuntur irregularitates?*

R. Duplici ex capite: Ex defectu et ex delicto.

38. Q. *Quid est delictum?*

R. Delictum, ut in iure canonico, est externa et moraliter imputabilis legis violatio, cui addita sit sanctio, seu poena canonica.

²⁷ Can. 983.

39. Q. *Ubinam residet irregularitas ex delicto?*

R. Materialiter residet in ipso delicto, continente gravem Ecclesiae prohibitionem de ordine suscipiendo; formaliter in ipsa lege ecclesiastica prohibente.

40. Q. *Habet ne eiusmodi prohibitio rationem paenae?*

R. Non habet rationem paenae, ²⁸ sed est iuris sequela et, poena delicti remissa, non cessat.

41. Q. *Quinam sunt irregulares ex delicto?*

R. Ex delicto: ²⁹

1° *Contra fidem*, apostatae a fide, haeretici, schismatici.

2° *Contra sacramentum*:

a) *baptismi*, qui praeter casum extremae necessitatis illum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt;

b) *matrimonii*, qui illud attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt:

vel ipsimet vinculo matrimoniali, aut ordine sacro, aut votis religiosiis etiam simplicibus ac temporariis ligati;

vel cum muliere iisdem votis adstricta, aut matrimonio coniuncta;

c) *ordinis*, qui actum ordinis ponunt, clericis in sacris constitutis reservatum:

vel eo ordine carentes;

vel ab eius exercitio prohibiti poena ca-

²⁸ Can. 2222, § 2.

²⁹ Can. 985.

nonica, sive personali medicinali aut vindicativa, sive locali.

3° *Contra vitam:*

qui homicidium voluntarium perpetrarunt,³⁰ aut abortum foetus humani procurarunt, effectu secuto, omnesque cooperantes;

qui seipsos vel alios mutilaverunt,³¹ vel sibi vitam adimere tentaverunt;

clerici artem medicam vel chirurgicam sibi vetitam exercentes, si exinde mors secuta fuerit.

42. Q. *Quae conditiones requiruntur ad incurrendam irregularitatem ex delicto contra sacramentum ordinis?*

R. 1° Ut cum gravi culpa ponatur notabilis actus sacri ordinis, et quidem solemniter; vel etiam sine exteriori apparatu, si agitur de actu quem non nisi ordinati possunt valide exercere, uti absolutio;

2° ut fiat exercitium ordinis sacri:

vel ab iis qui carent ordine quem exercent; ut si diaconus sacramentaliter absolverit, vel subdiaconus solemniter baptizaverit;

vel ab iis qui, utpote excommunicati, personaliter interdicti vel poenae vindicativae obnoxii, ab exercitio sacrorum ordinum prohibentur.

³⁰ Irregularitatem non gignit homicidium ex causa iusta, vel ex causa quidem iniusta sed non graviter culpabili.

³¹ Per abscissionem membri, idest partis corporis officium proprium et distinctum exercentis, uti sunt brachium, pes, oculus, auris, lingua, manus.

43. Q. *Quae alia delicta canonicum impedimentum pariunt?*

R. Nulla alia, nisi in iure recensita; attamen plura, etsi irregularitatem directe non gignunt, nihilominus ordinationem impediunt.

44. Q. *Qua ratione impediunt?*

R. Aut quia in candidato defectum requisiti canonici ostendunt,³² aut quia irregularitatem ex defectu vel impedimentum temporarium, vel aliquam censuram ab ordinibus prohibentem³³ mediate producant.

45. Q. *Quid est defectus?*

R. Defectus, prout hic sumitur, est privatio seu carentia perfectionis ad normam iuris clerico debitae.

46. Q. *Quinam sunt irregulares ex defectu?*

R. Ex defectu:³⁴

1° *natalium*, illegitimi,³⁵ sive illegitimitas sit publica sive occulta: nisi legitimi facti fuerint,³⁶ vel solemniter voti professi;

2° *corporis*, corpore vitiati, qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant; ex gr., claudi, balbi, mutili, caecutientes etc.;³⁷

³² Can. 2232, § 2.

³³ Can. 2265, § 1, 3°.

³⁴ Can. 984.

³⁵ Quinam sint illegitimi vide can. 1114.

³⁶ Legitimi fiunt per subsequens matrimonium parentum (Can. 1116), vel per speciale decretum R. Pontificis.

³⁷ « Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt ». Can. 984, 2°.

3^o *animi*, epileptici, ³⁸ amentes, a daemone aliquando possessi; ³⁹

4^o *sacramenti*, bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt; ⁴⁰

5^o *famae*, qui infamia iuris notantur; ⁴¹

6^o *lenitatis*, iudex qui sententiam mortis tulit, capitalis sententiae executores, et quidem qui munus carnificis susceperunt, eorumque in executione voluntarii ⁴² et immediati ministri.

47. Q. *Quid necesse est, ut defectus et delicta irregularitatem pariant?*

R. 1^o Ut sint certa: dubia enim pro nullis computantur;

2^o praeterea, pro delictis, ut sint peccata gravia externa, sive occulta, sive manifesta, ⁴³ post baptismum patrata. ⁴⁴

48. Q. *Quid venit nomine impedimenti simplicis?*

³⁸ Quidam excipiunt epilepsiam coeptam ante pubertatem quae iudicio medici prorsus evanuerit.

³⁹ De iis qui tales evaserint post receptos ordines, vide can. 984, 3^o.

⁴⁰ Res dubia est de bigamia similitudinaria, seu defectu proveniente ex matrimonio attentato a solemniter professis vel a constitutis in sacris.

⁴¹ « Infamia iuris est illa quae casibus iure communi expressis statuitur » (can. 2293, § 2). Incurri potest vel ipso facto (can. 2320; 2328; 2343, § 1, 2; 2351, § 1; 2356; 2357, § 1), vel per sententiam iudicis (can. 2314, § 2; 2359, § 2).

⁴² Non vero qui, uti milites, ex obedientia capitalem sententiam exsequuntur.

⁴³ Can. 986.

⁴⁴ Excipe, si baptismus sit ab acatholicis collatus.

R. Impedimentum iure constitutum non ex se perpetuum, arcens ab ordinibus licite suscipiendis vel a susceptis exercendis.

49. Q. *Quinam ab ordine suscipiendo vel a recepto exercendo iure sunt impediti?*

R. 1^o *Ratione fidei imperfectae:*

Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permaneant; ⁴⁵

neophyti, ⁴⁶ donec, Ordinarii iudicio, sufficienter probati fuerint.

2^o *Ratione libertatis deficientis:*

viri uxorem habentes;

qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam, cuius rationes reddere debeant, donec, deposito officio et administratione et rationibus redditis, liberi facti sint;

servi servitute proprie dicta (vulgo *schia-vi*), ante acceptam libertatem;

qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint. ⁴⁷

⁴⁵ *Filii*, idest descendentes in primo gradu, in linea paterna tantum (P. Comm. pro interpr. Cod., 14 iulii 1922); *parentes acatholici*, etiam cum alteruter tantum est acatholicus (eadem P. Comm., 16 octobr. 1919).

⁴⁶ *Neophyti*, seu qui ad fidem conversi sunt in adulta aetate.

⁴⁷ Agitur de servitio ordinario, seu activo, quod primitus ad militiam vocati servare debent. Impedimentum cessat perpetua et absoluta declaratione inhabilitatis, aut definitiva dimissione post exactum servitium.

3^o Ratione *famae amissae*, qui infamia facti laborant,⁴⁸ dum Ordinarii iudicio ipsa perdurat.

50. Q. *Ignorantia excusat ne ab impedimentis contrahendis?*

R. Ignorantia, sive facti sive iuris,⁴⁹ excusare potest a gravi poena ei statuta qui aliquo impedimento canonico detentus ad ordines accesserit;⁵⁰ sed non excusat ab ipsis impedimentis contrahendis, quae poenae non sunt et, existente defectu aut delicto, eo ipso incurruntur.⁵¹

51. Q. *Qua ratione impedimenta multiplicantur?*

R. Multiplicantur diversitate causarum, scilicet defectuum et delictorum; non vero eiusdem causae repetitione, nisi agatur de homicidio voluntario.⁵²

52. Q. *Subiacet ne poenae qui canonicum impedimentum violaverit?*

R. Nulli subiacet poenae; sed ob legis contemptum graviter peccat, nisi necessitas excuset.

⁴⁸ Infamia facti est amissio bonae existimationis apud fideles probos et graves, ob patratum delictum aut pravos mores. Can. 2293, § 3.

⁴⁹ Adest ignorantia facti cum ignoratur existentia defectus aut delicti quae prohibitioni Ecclesiae subest; ignorantia iuris, cum ignoratur tali defectui aut delicto prohibitionem Ecclesiae esse adnexam.

⁵⁰ Can. 2374.

⁵¹ Ideo qui inscius cum impedimento ordinatus fuerit, ab exercitio ordinis prohibetur.

⁵² Can. 989.

53. Q. *Quomodo removentur impedimenta?*

R. 1^o *Dispensatione*,⁵³ irregularitates et impedimenta simplicia;

2^o *professione religiosa*, defectus natalium;

3^o *cessatione causae*, impedimenta simplicia, non vero irregularitates.

54. Q. *Quis ab impedimentis dispensare potest?*

R. 1^o *Summus Pontifex*, ab omnibus.

2^o *Episcopus* seu *Ordinarius*, per se vel per alium, suos subditos:

ab impedimentis ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario aut foetus humani abortu, effectu secuto, et exceptis irregularitatibus ex delicto ad forum iudiciale adductis;⁵⁴

ad cautelam, ab omnibus impedimentis canonicis quae dubia sint dubio facti⁵⁵ et in casibus urgentibus.⁵⁶

3^o *Quilibet confessarius*, in casibus occultis urgentioribus, si periculum immineat damni vel infamiae: sed ad hoc tantum ut poenitens ordines iam susceptos exercere valeat.⁵⁷

⁵³ *Dispensatio* est « legis in casu speciali relaxatio » (can. 80).

⁵⁴ Can. 990, § 1.

⁵⁵ Can. 15. Dubium dicitur *iuris* vel *facti*, prout non certo constat de existentia vel alicuius iuris (seu legis) vel alicuius facti particularis.

⁵⁶ Can. 81.

⁵⁷ Can. 990, § 2.

CAPUT II

DE PRIMA TONSURA

QUA FIT AD STATUM CLERICALEM INGRESSUS

55. Q. *Explicatis iam quae praerequiruntur ad clericalis status assumptionem, indica modo qua ratione e laico quis fiat clericus?*

R. Clericus fit per eum ritum qui prima tonsura appellatur.¹

56. Q. *Quid est prima tonsura?*

R. Est ritus ab Ecclesia institutus, quo vir in clerum adscribitur et specialiter Deo dicatur.

57. Q. *Quare tonsura dicitur sacra, clericalis, prima?*

R. Dicitur *sacra*, quia ad sacra se disponendi virtutem inspirat; *clericalis*, quia laicis non est communis, utque a corona monastica distinguatur; *prima*, quia in serie ordinum prima venit, utpote in ipsa clericatus assumptione collata.

58. Q. *Quaenam requiruntur in eo qui tonsura vult initiari?*

R. 1^o Cursus theologicus inceptus;²

2^o sacramentum confirmationis;³

3^o propositum ascendendi ad superiores or-

¹ Qui sola tonsura est initiatus dicitur simplex clericus.

² Can. 976, § 1.

³ Qui enim aliorum dux eligitur, iam Christi sit miles oportet, sitque firmus in fide. Requiritur tantum necessitate praecepti.

dines, cum spe aliquando dignum fore presbyterum;⁴

4^o aetas et scientia, saltem implicite, quae incepto cursui theologico competunt.

59. Q. *In quo praecise ritus tonsurae consistit?*

R. Primario et essentialiter consistit in amputatione capillorum facta ab Episcopo vel alio facultatem habente in modum crucis,⁵ cum simultanea prolatione formulae: *Dominus pars* etc.;⁶

secundario et integraliter in impositione superpellicei, cum verbis: *Induat te Dominus* etc.

60. Q. *Tonsura producit ne aliquem spirituales effectum?*

R. Tonsura, cum non sit sacramentum, nullam gratiam confert ex opere operato, nec ullum imprimit characterem; sed, ut sacramentale, pro merito recipientis et ex Ecclesiae precibus, confert auxilia opportuna ut tonsuratus pie inter clericos conversetur.

61. Q. *Quare tonsurae elementa constitutiva vocantur materia et forma?*

⁴ Can. 973, § 1. Pro tonsura spes sufficit; pro maioribus ordinibus requiritur *certitudo moralis* positiva. Can. 973, § 3.

⁵ Scilicet in fronte, in occipitio, ad utramque aurem et in medio capitis ordinandi.

⁶ Verba proferri debent cum tonsurando (S. R. C., decr. 2682); sed non est de essentia ut recitentur.

R. Sic vocantur per analogiam cum sacramentis, quae coalescunt *materia* et *forma*, scilicet *rebus* indeterminatam habentibus significationem, et *verbis* quae significationem perficiunt et determinant.⁷

62. Q. *Tonsura est ne ordo?*

R. Tonsura non est ordo, neque enim aliquam tradit potestatem in ordine ad sacrificium Missae; attamen est quaedam dispositio ad ordines, eiusque ritus vocari solet *ordinatio*.

63. Q. *Qua mentis dispositione initiandus accedere debet ad tonsuram?*

R. Religione ac pietate in primis affectus sit oportet; secundo debet esse in statu gratiae, maxime si sumpturus sit *Ss̄nam* Eucharistiam.

64. Q. *Qui conscius lethalis peccati recipe- ret tonsuram, peccaret ne?*

R. Certum est eum peccare propter irreverentiam.

65. Q. *Quisnam est tonsurae minister?*

R. Tonsurae et ordinum minorum minister ordinarius pro validitate est Episcopus consecratus;⁸ extraordinarii sunt, ex iure, Cardinales, Vicarii et Praefecti Apostolici, Abbates vel Praelati *nullius*;⁹ ex Apostolico indulto quilibet sacerdos.

⁷ Ex. gr., in baptismo aqua, ex indeterminata signifi- catione, determinatur ad significandam et efficiendam spi- ritualem ablutionem per verba: *Ego te baptizo*.

⁸ Can. 951.

⁹ Can. 239, § 1, n. 22; 957; 964, 1o.

66. Q. *Quid requiritur ad licitam collatio- nem tonsurae?*

R. Requiritur et sufficit ut proprii ordinan- tis ritus ad amussim serventur.¹⁰

67. Q. *Dic modo quo tempore tonsura con- ferri possit?*

R. Tonsura quolibet die et hora conferri po- test, etiam in oratoriis privatis.¹¹

68. Q. *Quinam est habitus clericorum pro- prius?*

R. *Habitus communis* clericorum est vestis talaris nigri coloris;¹² *habitus proprius*, ab ipsis in functionibus adhibendus, est cotta, seu super- pelliceum, albi coloris.¹³

69. Q. *Quinam est ritus a tonsurando ser- vandus dum tonsura initiatur?*

R. Vestitus habitu clericali stat coram Epi- scopo genuflexus, ac gestans superpelliceum su- per brachium sinistrum et candelam in manu dextra. Deinde dum Episcopus forcipe amputat capillos, una cum eo recitat illum psalmi 15, 5,

¹⁰ Can. 1002.

¹¹ Can. 1006, § 4.

¹² Vide in Rituali Rom., tit. IX, c. IX, n. 3, bene- dictionem habitus clericalis, pro eo qui facultatem impe- traverit eum induendi, laudabiliter adhibendam.

¹³ *Superpelliceum* differt a *cotta* solum maiore lon- gitudine et forma aliquantum diversa. In assumendo su- perpelliceo laudabiliter recitatur sequens invocatio: *In- due me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis; cui adnexa est indulgentia trecentorum dierum.* (Cfr. *Enchirid. In- dulg., Preces et Pia Opera indulgentiis ditata*, 1952, nu- mer. 728).

versiculum: *Dominus pars hereditatis meae et calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi.* Postea ab Episcopo indutus superpelliceo ibi manet, donec ille preces super eum fuderit, atque allocutionem ad eum habuerit. Demum (offertorii tempore, si tonsura conferatur intra Missam) iterum ad Episcopum vadit, eique cereum offert, osculato eius annulo, atque ad suum locum revertitur.

70. Q. *Quaenam significatio ritus tonsurae et habitus clericalis?*

R. 1° Comae amputatio et verba *Dominus pars* enuntiant clericum in sortem Domini vocatum, omnibus superfluis et saeculi pompis abiectis, Deum solum ut dominum et praemium sibi elegisse;

2° nigra vestis talaris et album superpelliceum innuunt candorem vitaeque integritatem qua clericus, mundo iam mortuus, nitere debet.¹⁴

71. Q. *Quosnam effectus producit tonsura?*

R. Ex laico facit clericum, eumque participem efficit omnium officiorum, iurium et privilegiorum clericis communium; insuper dioecesi, in cuius servitium assumptus fuit, incardinat, nisi alicui religioni sit adscriptus.¹⁵

¹⁴ Quemlibet enim clericum oportet esse adscriptum vel alicui dioecesi vel religioni, ita ut clerici vagi nullatenus admittantur. Can 111, § 1.

¹⁵ De singulorum ordinum ritibus symbolismo, vide suis quibusque locis.

72. Q. *Quid tonsuratis imponit Episcopus?*
R. Recitationem septem psalmorum poenitentialium.¹⁶

CAPUT III

DE CLERICORUM IURIBUS ET PRIVILEGIIS
EORUMDEMQUE OFFICIIS

73. Q. *Quid est ius, quid privilegium?*

R. *Ius* est potestas moralis inviolabilis aliquid habendi, vel faciendi, vel postulandi;

privilegium in casu est specialis favor contra vel praeter ius commune, privata lege concessus.

74. Q. *Quid est ius clericale?*

R. Est ius clericis proprium, exclusis laicis, ideoque vel praeter, vel contra ius omnibus fidelibus commune.

75. Q. *Quaenam iura clericis per tonsuram conferuntur?*¹

R. 1° Ius ad potestatem sive *ordinis* sive *iurisdictionis* spiritualis;

2° ius ad *beneficia* et ad pensiones ecclesiasticas obtinendas;²

3° ius *competentiae*;

4° ius ad privilegia clericorum.

76. Q. *Quid est potestas ordinis?*

¹⁶ Cum adiectis versiculis et orationibus: quae recitatio, etsi sub levi tantum obligat, non est omittenda.

¹ Cfr. can. 118-122.

² Can. 118.

R. Potestas ministrandi cultum Dei publicum et sanctificandi fideles.³

77. Q. *Quid venit nomine iurisdictionis spiritualis?*

R. Potestas publica legitimi superioris, a Christo vel ab Ecclesia per canonicam missionem concessa, regendi baptizatos in ordine ad salutem aeternam.⁴

78. Q. *Quid est ius competentiae?*

R. Est ius quo clericis, qui creditoribus satisfacere coguntur, salva sunt quae ad sui honestam sustentationem sunt necessaria.⁵

79. Q. *Quae sunt clericorum privilegia?*

R. Sunt privilegia canonis,⁶ fori et exemptionis.

80. Q. *Quid est privilegium canonis?*

R. Est privilegium, vi cuius omnis qui clerico realem infert iniuriam seu violentas iniicit manus, sacrilegio se commaculat⁷ et excommunicationem latae sententiae aliasque graves poenas incurrit.⁸

³ Exercetur ministerio liturgico circa sacramenta et sacramentalia, prae primis circa Eucharistiae sacramentum et sacrificium.

⁴ Exercetur imperio et magisterio, eo sensu quod potestas iurisdictionis late sumpta imperium et magisterium comprehendit, stricte vero accepta imperium tantum, et a magisterii potestate distinguitur.

⁵ Can. 122.

⁶ Sic dictum a canone XV Conc. Lateran. II (1139), quo primum canone hoc privilegium continetur.

⁷ Can. 119.

⁸ Prout autem delictum admissum est contra Sum-

81. Q. *Quid est privilegium fori?*

R. Est privilegium quo clericus a laicorum foro seu tribunali eximitur in omnibus causis, si-ve contentiosis, si-ve criminalibus.⁹

82. Q. *Quid tandem est privilegium exemptionis?*

R. Est privilegium quo clericus eximitur a servitio militari et a muneribus publicisque civilibus officiis a suo statu alienis.¹⁰

83. Q. *Licet ne clerico his iuribus et privilegiis renuntiare?*

R. Renuntiare non licet, cum non personam sed statum clerici directe afficiant.

84. Q. *Possunt ne aliquando amitti aut amissa recuperari?*

R. Amitti possunt, si a statu clericali iure aut sententia quis decidat, vel degradetur;¹¹ possunt recuperari, reassumptione inter cleros, vel poenae remissione.

85. Q. *Quomodo fieri potest amissio, si sacra ordinatio nunquam irritatur?*

R. Etsi ordinatio nunquam irrita fit, tamen per fictionem iuris ignorari potest, et clericus, etiam si in maioribus, quasi laicus haberi, cum amissione omnium clericalium iurium sed non semper omnium obligationum;¹² potest etiam,

mum Pontificem et Cardinalem Legatum, vel Episcopum aut clericum Episcopo inferiorem, excommunicatio variat.

⁹ Can. 120, § 1.

¹⁰ Can. 121.

¹¹ Can. 123; 124.

¹² Can. 211, § 1.

iuris fictione remota, denuo inter clericos admitti, quin tamen ordinatio iterari oporteat.

86. Q. *Quomodo clericus in statum laicalem reducitur?*

R. 1° Clericus *maior*, in statum laicorum reducitur rescripto Summi Pontificis vel decreto S. C. de disciplina Sacramentorum, seu S. C. Religiosorum, vel sententia iudicis; vel degradationis poena vindicativa.

2° Clericus *minor*, sua ipsius voluntate reducitur, vel decreto Ordinarii loci, vel sententia iudicis, vel ipso facto in casibus a iure contemplatis.¹³

87. Q. *Quomodo autem fit clerici redintegratio?*

R. 1° Si clericus est *in minoribus*, fit de licentia Ordinarii dioecesis, cui per tonsuram inordinatus fuit;

2° si est *in maioribus*, fit de licentia Apostolicae Sedis.

88. Q. *Nunc expone quae et quot sint officia seu obligationes clericorum?*¹⁴

R. 1° Sanctiorem prae laicis vitam ducere, eisque in exemplum excellere;

2° pietatem fovere, in orationis usu versari, divinam psalmodiam in templo frequentare;

¹³ Cfr. can. 132, § 2; 136, § 3; 141, § 2; 648; 669, § 2.

¹⁴ Cfr. can. 124-144. Clericorum obligationes seu officia, hic recensenda, alia sunt *positiva*, alia vero *negativa*, prouti agitur de iis quae, utpote eorum statui convenientia vel indecora seu aliena, adimplenda aut vitanda praescribuntur.

3° peculiarem reverentiam et obedientiam Episcopo exhibere, ad eius nutum servitio propriae ecclesiae assiduos esse, potissimum vero in religiosa puerorum institutione praesto esse parochi;

4° munus sibi ab Ordinario commissum, ecclesiae necessitate poscente, suscipere;

5° studiis praesertim sacris iugiter vacare;

6° decentem habitum ecclesiasticum, iuxta legitimas locorum consuetudines, deferre, tonsuram gestare et simplicem capillorum cultum adhibere.¹⁵

89. Q. *Quid si clericus non incedat in habitu et tonsura?*

R. Si propria auctoritate et absque legitima causa id fecerit et ab Episcopo admonitus intra mensem sese non emendaverit, clericus *minor* e statu clericali decedet; clericus *maior* suspensioni ab ordinibus obnoxius fiet.

90. Q. *Quaenam, utpote indecora, clericis vetantur?*

R. 1° Indecoram artem exercere;

2° aleatoriis ludis vacare;

3° arma gestare;

4° illicitis venationibus indulgere;

5° tabernas, aliaque similia loca sine iusta causa adire;

6° choreas agere et personatos incedere;

¹⁵ Can. 136, § 1; 2379. Clericis saecularibus negatur libertas gestandi barbam. *Acta Ap. Sed.*, 1920, p. 43.

7° theatris, aliisque profanis spectaculis interesse;

8° negotiationem aut mercaturam intentu lucri sive pro se, sive pro aliis, exercere;¹⁶

9° saecularem militiam voluntarie capessere;

10° fideiubere etiam de bonis propriis inconsulto Episcopo et, si in sacris, patrini munere fungi sine Ordinarii proprii licentia;

11° mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retinere, aut frequentare.

91. Q. *Quaenam clericis, tamquam aliena seu ab officio fungendo impediuntur, vetantur?*

R. 1° Medicae vel chirurgicae arti operam dare;

2° publicum notarium civilem, procuratorem, advocatum agere;

3° officia publica, exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis secum ferentia, assumere;

4° gestionem bonorum ad laicos pertinentium, aut officia saecularia reddendae rationi obnoxia obire;

5° denique omnia quae, licet non indecora, tamen a statu clericali sunt aliena.¹⁷

¹⁶ Can. 142.

¹⁷ Can. 139, § 1.

APPENDIX

DE CENSURIS

92. Q. *Quid est censura?*

R. Est poena ecclesiastica medicinalis,¹ qua homo baptizatus delinquens et contumax quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus annexis privatur, donec a contumacia recedens absolvatur.²

93. Q. *Quotuplex est censura?*

R. 1° *Ratione modi quo statuitur:*

alia est *a iure*, quae per legem seu statutum perpetuum lata est;

alia *ab homine*, quae a superiore fertur per praeceptum vel per sententiam iudicalem etsi in iure statutam.

2° *Ratione modi quo incurritur:*

alia est *latae sententiae*, quae ipso facto incurritur;

alia *ferendae sententiae*, quae solum post sententiam condemnatoriam iudicis vel post decretum superioris incurritur.

3° *Ratione modi quo absolvitur:*

alia est *reservata*, alia *non reservata*.³

¹ Poena ecclesiastica est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem, a legitima auctoritate inflictam (can. 2215). Tres sunt poenarum species in Ecclesia: poenae *medicinales*, seu censurae, poenae *vindicativae*, remedia poenalia et *poenitentiae*. Can. 2216.

² Can. 2241.

³ Can. 2217.

94. Q. *Quot sunt specie censuræ?*

R. Tres: excommunicatio, suspensio et interdictum.⁴

95. Q. *Quid est excommunicatio?*

R. Excommunicatio, seu anathema, est poena qua quis excluditur a communione fidelium.⁵

96. Q. *Quinam sunt excommunicationis effectus?*⁶

R. 1° Privatio iuris:

active assistendi divinis officiis;

recipiendi sacramenta, imo et sacramentalia si excommunicatio lata sit per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam;

licite conficiendi et ministrandi sacramenta et sacramentalia, exceptis casibus in iure expressis;

fruendi indulgentiis, suffragiis et publicis Ecclesiae precibus.

2° Interdictio:

ab actis legitimis ecclesiasticis;

ab actis iurisdictionis;

a voce activa et passiva;

a percipiendis fructibus dignitatis, officii, beneficii.⁷

⁴ Can. 2255 sqq.

⁵ Excommunicati dicuntur *vitandi*, si qualibet cum fidelibus communione prohibentur; *tolerati*, si non qualibet prohibentur. Censendi autem sunt vitandi: qui publice et nominatim ut tales a S. Sede sunt denunciati; publici et notorii Romani Pontificis percussores. Can. 2258; 2343, § 1.

⁶ Can. 2259 sqq.

⁷ Pro excommunicatis vitandis addenda est *interdic-*

97. Q. *Quid est suspensio?*

R. Est poena qua clericus officio, seu usu potestatis ordinis aut iurisdictionis, vel beneficio, vel utroque simul prohibetur.⁸

98. Q. *Quid et quotuplex est interdictum?*

R. Interdictum est poena qua fideles in communione Ecclesiae permanentes prohibentur sacris quibusdam a iure determinatis; est autem duplex: *personale* et *locale*.⁹

99. Q. *Qua ratione in utroque fit sacrorum prohibitio fidelibus?*

R. Interdicto *personali* prohibitio directe fidelibus fit, seu usus sacrorum personis ipsis ubique vetatur; interdicto vero *locali* indirecte fidelibus fit, seu eorundem dispensatio vel perceptio certis in locis vetatur.

100. Q. *Clericus censura innodatus contrahit ne irregularitatem si ordines recipiat vel in eis ministret?*

R. Nullam contrahit irregularitatem, si recipiat ordines; contrahit si, ordine suscepto, ponit actum reservatum.¹⁰

101. Q. *Quomodo aufertur censura?*

R. Quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione.¹¹

102. Q. *Quis a censura absolvere potest?*

lio: a dignitate, officio, beneficio; a consortio civili cum fidelibus; a participatione passiva divinis officiis; a sepultura ecclesiastica.

⁸ Can. 2278 sqq.

⁹ Can. 2268 sqq.

¹⁰ Can. 985, n. 7.

¹¹ Can. 2248, § 1.

R. 1° *In periculo mortis*, quivis sacerdos, etsi ad confessiones non approbatus.

2° *In casibus urgentioribus*, quilibet confessarius in foro sacramentali, a censuris quoquo modo reservatis.¹²

3° *In casibus communibus*:

a censura quae sit *ab homine*, non nisi qui eam tulit, aut eius successor vel superior, vel horum delegatus;

a censura quae sit *a iure et non reservata*, quisquis iurisdictionem in foro externo habet in reum potest absolvere etiam in foro extrasacramentali; confessarius vero in foro sacramentali tantum;¹³

a censura quae sit *a iure et reservata*, ille qui censuram constituit vel cui reservata est eorumque successores, aut competentes superiores, aut delegati.¹⁴

¹² Cum onere tamen recurrenti sub poena reincidentiae intra mensem, si hoc sine gravi incommodo fieri potest.

¹³ Can. 2226, § 1; 2253; 2254; 882.

¹⁴ Can. 2253, n. 3.

PARS II

DE SACRA ORDINATIONE
ET DE ORDINIBUS IN COMMUNI

CAPUT I

DE SACRAE ORDINATIONIS INDOLE

103. Q. *Praemittere faveas quid sit hierarchia ecclesiastica?*

R. Hierarchia, seu *sacer principatus*, est recta dispositio praepositorum et ministrorum, ad sanctificationem hominum et Ecclesiae regimen, a Christo instituta.¹

104. Q. *Quotuplex est hierarchia?*

R. Hierarchia in Ecclesia existens duplex est: *ordinis et iurisdictionis*, prout respicit potestatem ordinis aut iurisdictionis.²

105. Q. *Quid est potestas ordinis?*

R. Est potestas ministrandi cultum De publicum et sanctificandi fideles, et exercetur ministerio liturgico circa sacramenta et sacramentalia, prae primis vero Eucharistiae sacramentum et sacrificium.

¹ Hoc autem iuxta notionem ordinis communiter accepti, qui dicitur: apta dispositio mediorum ad finem, cuiusque elementa sunt *subiectum* disponens, *finis* intentus, *media* apta, et *lex*, seu recta norma qua media diriguntur in finem.

² Conc. Trid., sess. XXIII, cap. IV et can. 6.

106. Q. *Quid est potestas iurisdictionis?*

R. Est potestas regendi fideles, et exercetur imperio et magisterio.³

107. Q. *Qua ratione fit promotio ad gradus hierarchicos?*

R. Ad gradus *ordinis* fit promotio per sacram ordinationem; ad gradus *iurisdictionis* fit per missionem canonicam, factam scilicet ad normam sacrorum canonum.

108. Q. *Quid est ordo sacer?*

R. Est sacramentum, quo datur potestas et gratia ad sacra munia obeunda; dicitur *ordo* etiam ipsa sacra potestas et gratia per ordinationem collata.

109. Q. *Quodnam discrimen ordinationem inter et ordinem?*

R. Ordinatio est actualis ordinis collatio; ordo vero est habitualis effectus ordinationis.⁴

110. Q. *Quis fuit sacrae ordinationis auctor?*

R. Duo sunt de fide catholica:

1^o Sacramentum ordinis fuisse a Christo Domino institutum⁵ et unum idemque esse pro universa Ecclesia;⁶

³ Potestas iurisdictionis late sumpta magisterium et imperium comprehendit, *strictè* accepta imperium tantum et a magisterii potestate distinguitur.

⁴ Attamen in iure (can. 950) et in praxi vocabula *ordo*, *ordinatio*, *sacra ordinatio*, *ordinare* promiscue veniunt et ad ipsam primam tonsuram extenduntur.

⁵ Conc. Trid. sess. XXIII, can. 3.

⁶ PIUS XII, Const. Ap. « Sacramentum ordinis », d. d.

2^o pariter a Christo Domino institutam fuisse hierarchiam ecclesiasticam,⁷ quae constat Episcopis, presbyteris et ministris.⁸

De aliis ordinibus, fuerint ne a Christo an ab Ecclesia instituti, lis adhuc sub iudice pendet.

111. Q. *Si Christus instituit sacram ordinationem, sequitur ne eam esse vere sacramentum?*

R. Utique et fidei dogma est; sed num omnes et singuli ordines, praeter sacerdotium, sint sacramenta, adhuc definitum non est.

112. Q. *Quandonam Christus sacram ordinationem instituit?*

R. Cum in ultima coena dixit discipulis: *Hoc facite in meam commemorationem*;⁹ nam tum Sacerdos ipse et Pontifex sacrificium Novae Legis instituit et Apostolos quoque sacerdotes ordinavit.

113. Q. *Quinam sunt ordinationis effectus?*

R. Gratia sanctificans, gratia sacramentalis et character.

114. Q. *Quid est gratia sanctificans?*

³⁰ novem. 1947, n. 1: « nam sicut D. N. I. C. Ecclesiae non dedit nisi unum idemque sub Principe Apostolorum regimen, unam eandemque fidem, unum idemque sacrificium, ita non dedit nisi unum eundemque thesaurum signorum efficacium gratiae, idest sacramentorum ».

⁷ Conc. Trid. sess. XXIII, can. 6.

⁸ Intellige de hierarchia *ordinis*, nam hierarchia *iurisdictionis* constat Pontificatu Supremo et Episcopatu, praeter alios gradus ex institutione Ecclesiae.

⁹ Luc. XXII, 19; I Cor., XI, 24.

R. Est donum supernaturale quo iam acceptae iustificationis gratia augetur.

115. Q. *Quid vero est gratia sacramentalis?*

R. Est ius quoddam, gratia sanctificante in-nixum, obtinendi opportuno tempore auxilia supernaturalia, seu actuales gratias ad propria munia recte exsequenda.

116. Q. *Eiusmodi gratia sacramentalis datur ne semper initiatis?*

R. Vi sacramenti iis non datur qui in sua ordinatione obicem ponunt, sicut neque gratiae actuales iis qui postmodum a gratia sanctificante exciderunt.

117. Q. *In quo consistunt actuales illae gratiae?*

R. Consistunt in illustrationibus mentis ac piis voluntatis motionibus, quibus rite et laudabiliter suscepti ordinis munia exercentur.

118. Q. *In re nostra quid est character?*

R. Est signum Christi indelebiter impressum in anima, quo initiatus a laicis discernitur et ad ecclesiastica munera obeunda deputatur.¹⁰

¹⁰ Naturam characteris ordinis explicare volentes, quidam theologi dicunt eum esse reale signum essentialiter dicens ordinem ad sacram potestatem, seu ad deputationem ea peragendi quae sunt cultus divini. Thomistae vero eum reponunt in ipsa reali potestate sacra, seu potius potentia sacra; praeterea, iuxta ipsos, character ordinis, utpote deputans hominem ad Dei cultum, tres fundat relationes essentielles: ad Christum, ad gratiam, ad fideles; prima configurat Christo, altera disponit ad gratiam, tertia distinguit fideles.

119. Q. *Quandonam imprimitur character?*
R. Character imprimitur quando conficitur sacramentum.¹¹

120. Q. *Qui indigne reciperet ordinationem, non acciperet sane gratiam; idem ne dicendum de character?*

R. Minime. Ratio differentiae est, quia mortale peccatum est obex gratiae et cum illo ea consistere non potest. At character nullam cum eo repugnantiam habet, utpote non ordinatus ad sanctificandam animam.

121. Q. *Cur sacra ordinatio iterari non potest?*

R. Quia quod semel Deo est consecratum suam consecrationem nunquam amittit.¹²

CAPUT II

DE VALIDA SACRAE ORDINATIONIS RECEPTIONE

122. Q. *Quaenam requiruntur ut rite, seu valide, sacra ordinatio recipiatur?*

R. In subiecto, praeter sexum virilem et

¹¹ Ideo in diaconatu, presbyteratu et Episcopatu imprimitur quando, impositis manibus, proferuntur ab Episcopo verba formae (PIUS XII, Const. Ap. « Sacramentum Ordinis », n. 4). In ceteris ordinibus, iuxta eorum sententiam qui sacramenti naturam in ipsis agnoscunt, character imprimitur cum, in traditione et acceptance instrumentorum, proferuntur simul ab Episcopo verba formae.

¹² Quapropter, clerico laicizato, si denuo in clerum recipiatur, semel accepta ordinatio iterari nequit.

baptisma susceptum, etiam, si ad usum rationis pervenerit, animus suscipiendi ordines;

in *collatione*, usus materiae et formae;
in *ministro*, ut sit legitimus.

123. Q. *Quid intelligis per animum recipiendae ordinationis?*

R. Intelligo voluntatem qua quis serio intendit ut opus in se illud impleatur, quod ipsa Ecclesia sacro et religioso ritu super eum efficit.¹

124. Q. *Quid venit nomine materiae et formae ordinationis?*

R. *Materiae* nomine venit illa res sensibilis qua significatur et simul traditur ordinando spiritualis potestas et gratia;

formae nomine veniunt verba quae Episcopus pronuntiat in applicatione materiae, eamque univoce determinant.²

125. Q. *Qua lege in collatione ordinis materia et forma coniungi debent?*

R. Hucusque ea lege ut materiae tactus esset physicus et formae cum materia contactus, saltem pro aliquo instanti, simultaneus: dehinc vero ad valorem requiritur et sufficit ut materiae tactus sit moralis et unio formae cum materia fiat per continuitatem totius ritus et per

¹ In ordinando sufficit intentio (quam quidam *habitualementem*, quidam *virtualem* vocant) non elicitam neque exercitam, sed implicitam et in actu semel elicitam et non retractatam aliquomodo expressam.

² Utraque potest esse *remota* et *proxima*: materia remota est ipsa res adhibita, proxima est eiusdem applicatio; forma remota est formula verbalis, proxima est eiusdem prolatio.

ipsius formae verba, quibus materia univoce determinatur.³

126. Q. *Quisnam est sacrae ordinationis minister legitimus?*

R. Iure proprio est Episcopus consecratus; iure extraordinario, seu ex indulto Apostolico, ordines subdiaconatu inferiores etiam a simplici sacerdote conferri valent.⁴

127. Q. *Quid requiritur ad validitatem in ministro ordinante?*

R. Ut intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia⁵ et ut saltem ponat ritus esenciales.

128. Q. *Quinam dicuntur ritus esenciales, seu ad valorem ordinationis?*

R. Qui circa materiam et formam essentialem versantur et ex utriusque applicatione coalescunt.⁶

129. Q. *Quaenam est materia ordinationum, quaenam forma?*

³ Pius XII, Const. Ap. « Sacramentum ordinis », n. 4.

⁴ Can. 951, 239, § 1, n. 22.

⁵ Haec est intentio *virtualis implicita*. Intentio est *virtualis* si in actu ordinationis non elicitur quidem, at tamen, qualibet simulatione aut fictione remota, exercetur; est *implicita* quando effectus proprius ordinationis non in se intenditur, sed in alio, in quo necessario continetur: ut si quis intendat quod intendit Ecclesia. Ordinantis intentio *virtualis implicita* debet esse *expressa*, videlicet significata verbis, scriptis, seu factis.

⁶ Praeter *essenciales*, dantur ritus *integrales* et *accidentales*, prout ad integritatem vel ornamentum pertinent: quorum positio ad licitatem requiritur.

R. *Materia* in ordinatione ad quatuor minores ordines et ad subdiaconatum est traditio unius aut plurium instrumentorum; in ordinatione ad diaconatum, presbyteratum (et Episcopatum) est una manuum impositio;

forma in omnibus ordinationibus sunt verba applicationem materiae determinantia, quibus univoce significantur effectus sacramentales.⁷

130. Q. *Recte quidem; at, cum in ordinatione ad maiores ordines plures sint formulae verborum per se aptae ad significandum effectum sacramenti, quatenam ex iis constituunt formam?*

R. Ea solummodo constituunt formam, quae ab Ecclesia qua talia accipiuntur et usurpantur.⁸

⁷ Pius XII, Const. Ap. « Sacramentum ordinis », n. 4. Quatenam sint in singulis ordinationibus, infra dicitur. In ordinatione autem, seu consecratione Episcopali, *materia* ad valorem est impositio manuum, quae ab Episcopo consecratore fit; *forma* constat verbis praefationis, quorum haec sunt essentialia ideoque ad validitatem requisita: *Comple in sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum caelestis unguenti rore sanctifica* (PIUS XII, l. c., n. 5).

⁸ Christus D. enim *sensum* formae sacramentorum accurate determinavit, non vero eodem modo in omnibus sacramentis *verba* quibus sensus exprimeretur, id relinquens faciendum Ecclesiae seu Romano Pontifici, penes quem proinde est et esse debet de huius rectae expressionis iudicium. Cfr. Pius XII, l. c., n. 3.

CAPUT III

DE LICITA SACRAE ORDINATIONIS RECEPTIONE

131. Q. *Edissere nunc mihi quae requirantur ad licitam sacrae ordinationis susceptionem?*

R. 1° In *ministro*, ut sit competens et habeat omnia documenta iure requisita;

2° in *ordinatione*, ut ritus proprii ad amissim serventur;

3° in *subiecto*, immunitas ab impedimentis ac mores ordini suscipiendo congruentes, recepta sacra confirmatio, aetas canonica, scientia debita, ordinum inferiorum susceptio, ordinationum legitimum tempus et interstitiorum observatio.

132. Q. *Quisnam est ordinationis minister competens pro clero saeculari?*

R. Episcopus ordinandi proprius,¹ vel quilibet Episcopus qui legitimas litteras dimissorias ab Ordinario proprio ordinandi, vel speciale rescriptum aut privilegium a Sede Apostolica obtinuerit.²

¹ « Episcopus proprius iusta causa non impeditus per se ipse suos subditos ordinet ». Can. 955, § 2. Episcopus dioecesis in cuius servitium laicus ad primam tonsuram a proprio Episcopo promotus fuerit, illi iure proprio et exclusivo ordines conferre aut litteras dimissorias dare valet, licet ipse in eadem dioecesi domicilium nondum adquisierit. *Acta Ap. Sed.*, 1939, p. 321.

² Can. 956; 952; 955, § 1. Episcopus ordinans non debet esse simoniacus aut censura irretitus. Can. 2371; 2372.

133. Q. *Quisnam est minister pro clero religioso?*

R. 1^o *Pro religiosis exemptis*,³ regulariter est Episcopus dioecesis in qua sita est domus religiosa ordinandi, acceptis litteris dimissoriis a proprio superiore maiore.

2^o *Ceteri religiosi* — professi non exempti votorum temporariorum initiandi ad ordines maiores — iure saecularium reguntur.⁴

134. Q. *Quis dicendus est Episcopus ordinandi proprius?*

R. Ille, in cuius dioecesi aut domicilium habeat simul cum origine, aut domicilium sine origine, sed vere acquisitum.⁵

135. Q. *Quid est domicilium canonicum?*

R. Est commoratio in aliquo loco, cum animo ibi perpetuo manendi si nihil inde avocet.⁶

³ Salvo iure Abbatis de regimine, conferendi primam tonsuram et ordines minores, dummodo sit presbyter et in Abbatem benedictus.

⁴ Can. 964, 4^o. Qui sine dimissoriis litteris aut peculiari privilegio ab alieno Episcopo ordinatur, manet illico suspensus ab ordine suscepto, quamdiu Ordinario proprio visum fuerit. Can. 2374.

⁵ Ad hoc, sciendum est: 1^o Locum, ecclesiastice, esse partem territorii Ecclesiae, scilicet dioecesim vel paroeciam; distinguere vero locum *nativitatis*, *commorationis*, *domicilii* vel *quasidomicilii*, *originis*, *incardinationis*. 2^o Locum *originis* a loco *nativitatis* posse aliquando esse distinctum, cum sit locus ubi pater domicilium vel quasidomicilium habebat quo tempore natus est filius. 3^o Domicilium facere *incolam*, quasi domicilium facere *advenam*. Can. 90, 91.

⁶ Can. 92, § 1.

136. Q. *Quotuplex est eiusmodi domicilium?*

R. Aliud est *paroeciale*, quo quis et parochum et Episcopum proprium acquirit; aliud *dioecesanum* tantum, quo quis proprium Episcopum tantum acquirit.⁷

137. Q. *Qua ratione quis adipiscitur domicilium?*

R. Adipiscitur commoratione in aliquo loco, vel coniuncta cum animo ibi perpetuo manendi, vel protracta ad decennium completum.⁸

138. Q. *Quid est incardinatio?*

R. *Incardinatio*, seu *incorporatio*, est perpetua et absoluta clerici adscriptio alicui dioecesi.

139. Q. *Quomodo fit incardinatio?*

R. 1^o *Incardinatio clerici saecularis* fit per primam tonsuram dioecesi in cuius servitium promotus fuit;⁹ vel per legitimas litteras incardinationis dioecesi alieni Ordinarii;¹⁰

2^o *incardinatio clerici religiosi* fit per Episcopi receptionem.¹¹

⁷ Can. 92, § 3.

⁸ Can. 92, § 1. Nisi tamen ordinandus ibi iam sit per primam tonsuram incardinatus. Can. 956.

⁹ Can. 111, § 2. Ad normam huius canonis laicus, qui a proprio Episcopo promotus sit ad primam tonsuram in servitium alicuius determinatae dioecesis de consensu huius Episcopi, huic dioecesi incardinatus est. *Acta Ap. Sed.*, 1939, p. 321.

¹⁰ Can. 112.

¹¹ Can. 641, § 2.

140. Q. *Quid est excardinatio?*

R. *Excardinatio*, seu *excorporatio*, est perpetua et absoluta clerici dimissio ex aliqua dioecesi.

141. Q. *Qua ratione fit excardinatio?*

R. Fit per legitimam incardinationem alicui dioecesi,¹² aut per professionem perpetuam in aliqua religione.¹³

142. Q. *Quare facienda est incardinatio?*

R. Quia nullatenus admittuntur clerici vagi, sed oportet quemlibet clericum alicui dioecesi vel religioni esse adscriptum.¹⁴

143. Q. *Quodnam est legitimum ordinationis tempus?*

R. 1° *Pro ordinibus maioribus* — intra Missarum solemnias conferendis — legitimum tempus sunt Sabbata Quatuor Temporum, Sabbatum *Sitientes* et Sabbatum sanctum; gravi autem existente causa, quilibet dies dominicus aut festum de praecepto;¹⁵

2° *pro ordinibus minoribus* — quae mane etiam extra Missam conferri possunt — singuli dies dominici et festa duplicia;¹⁶

¹² Can. 116. Causa tamen iusta intervenire debet, ut, ex gr., cum clericus ab Ordinario alienae dioecesis obtinuerit beneficium residentiale. Can. 112 sqq.

¹³ Can. 215; 585.

¹⁴ Can. 111, § 1.

¹⁵ Can. 1006, § 2, 3. Non vero festa quoad feriacionem suppressa. *Acta Ap. Sed.*, 1936, p. 210.

¹⁶ Can. 1006, § 4.

3° *pro tonsura* quilibet dies et hora.

144. Q. *Quinam ordinationis locus?*

R. 1° Ordinationes *generales* fiunt in cathedrali ecclesia aut, si in alio dioecesis loco, in digniore ecclesia.

2° Ordinationes *particulares*, iusta causa accedente, etiam in aliis ecclesiis, itemque in oratoriis domus episcopalis, aut Seminarii, aut domus religiosae.

3° *Prima tonsura et ordines minores*, etiam in oratoriis privatis.¹⁷

145. Q. *Qua progressionem conferendi sunt ordines?*

R. Gradatim conferendi sunt, ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur.¹⁸ Ordines autem omissi, excepta tonsura, supplentur, quin iam receptus ordo iteretur.

146. Q. *Quid sunt interstitia et ad quid instituta?*

R. Sunt tempus ab ordinatione antecedente ad subsequentem decurrens, ad id constitutum, ut temporum interstitiis clerici in receptis ordinibus se exercent, et ut in eis cum aetate vitae meritum et doctrina maior accrescat.¹⁹

¹⁷ Can. 1009, § 1, 2, 3.

¹⁸ Can. 977. Sic ordinati qui id malitiose fecerint, praeter grave peccatum, manent ipso facto suspensi a recepto ordine. Eandem suspensionis poenam incurrunt qui ante canonicam aetatem ad ordines accesserunt et qui minoribus ordinibus initiantur sine accepta tonsura. Can. 2374.

¹⁹ Can. 978, § 1; Pontificale R. *De Ordin. confer.*

147. Q. *Quid praecipit interstitiorum lex?*

R. 1° Ut ne conferatur subdiaconatus una simul cum ordinibus minoribus;

2° neve duo sacri ordines uno eodemque die;

3° nec prima tonsura cum ordine minore;

4° neque omnes ordines minores una simul.²⁰

148. Q. *Quaenam ordinum suscipiendorum aetas legitima?*

R. 1° Aetatem pro minoribus ordinibus ius implicite tantum determinat, definiendo studia cuique ordini competentia;

2° pro subdiaconatu statuit annum vigesimum primum completum; pro diaconatu annum vigesimum secundum completum, pro presbyteratu annum vigesimum quartum completum.²¹

149. Q. *Quaenam sunt studia cuique ordini iure competentia?*

R. 1° Pro tonsura, inceptus cursus theologicus; pro subdiaconatu, exiens tertius annus theologici cursus; pro diaconatu inceptus quartus an-

²⁰ Can. 978, § 3. Praeterea: 1° Interstitia post primam tonsuram et ordines minores prudenti Episcopi iudicio committuntur; 2° Minores inter et maiores ordines sint saltem unius anni; 3° Trium saltem mensium inter ordines maiores: haec autem, nisi Ecclesiae necessitas aut utilitas, iudicio Episcopi, aliud exposcat. Can. 978, § 2.

²¹ Can. 975.

nus; pro presbyteratu transactus medius quartus annus.²²

2° Praeterea initiandi scire debent suas obligationes et ea quae ad ordinem suscipiendum et exercendum pertinent.²³

CAPUT IV

DE PRAEVIIS AD SACRAM ORDINATIONEM

150. Q. *Quaenam a clericis sacrae ordinationi praemitti debent?*

R. 1° Libellos supplices ad quem spectat tempestive mittant;

2° praescripta iuramenta praestent;

3° examina absolvant;

4° documenta exhibeant;

5° ordinationi se praeparent.

²² Can. 976. Studia debent esse peracta in scholis ad id institutis, secundum rationem a Sede Apostolica statutam, in Seminario commorando, nisi Ordinarius dispensaverit, can. 976, § 3; 972, § 1. Ut vero non intercipiatur cursus annuus cum damno studiorum, ordinationes in finem anni scholastici consultius est prorogare.

²³ Ab initiandis *de clero religioso* praeterea postulatur: 1° Ut ad tonsuram et ordines minores non admittantur ante votorum temporariorum professionem, quae eorum promotionem omnino praecedere debet; 2° Ut ad ordines maiores non promoveantur ante professionem sive perpetuam sive solemnem. Can. 964, n. 3, 4; 3° In religionibus ubi non sunt vota perpetua, non ante triennium completum votorum temporariorum; 4° In societatibus sine votis, non ante triennium a prima post novitiatum cooptatione. *Acta Ap. Sed.*, 1932, p. 74 sqq.

4. *Specimen examinis*

151. Q. *Quinam libelli supplices praemittendi sunt?*

R. 1° De ordinandorum proposito per se vel per alios aperiendo;

2° de dispensatione a requisitis vel impedimenti sibi, si opus sit, procuranda;

3° de litteris dimissorialibus et testimonialibus obtinendis, si ab alieno Episcopo ordinentur.

152. Q. *Ad quaenam iuramenta seu fidei professionem tenentur ordinandi?*

R. 1° Omnes promovendi ad subdiaconatum tenentur ad professionem fidei et ad iusiurandum antimodernisticum;¹

2° tonsurandus habens Episcopum proprium ratione domicilii sine origine, tenetur ad iuramentum de animo manendi perpetuo in dioecesi;

3° quando haberi nequeunt litterae testimoniales, fit iuramentum suppletorium;

4° item, ut ordinandus ad subdiaconatum habeat titulum canonicum servitii dioecesis, emittere debet iuramentum de intentione se perpetuo devovendi servitio illius dioecesis;

5° tandem requiritur declaratio, iuramento firmata, de qua supra, n. 29, 30.

¹ Hoc iuramentum obligat post Codicis promulgationem, donec Sancta Sedes aliter disponat. *Acta Ap. Sed.*, 1918, p. 156.

153. Q. *Circa quodnam subeunda sunt examina ad ordinationem?*

R. Circa ordinem suscipiendum et, si ordo sit maior, circa alias tractationes theologicas, ad nutum Episcopi.²

154. Q. *Quaenam documenta seu testimonia sunt exhibenda?*

R. 1° De receptis baptismo et confirmatione, pro prima tonsura; ultimae ordinationis, pro aliis ordinibus;

2° de studiis peractis et de experimento facto;

3° de bonis moribus, per Seminarii rectorem seu proprium moderatorem, necnon litterae testimoniales parochi;³

4° de statu libero, si alicubi canonicum impedimentum contrahi potuerit;⁴

5° de publicis proclamationibus in ecclesia paroeciali;⁵

6° de peractis exercitiis spiritualibus.⁶

155. Q. *Quanam animi dispositione accedendum est ad ordines sacros?*

R. Tanta profecto quantam suscipiendi muneris tum excellentia, tum, si de maioribus ordinibus agitur, eorum perennitas expostulat.

² Can. 996.

³ Can. 1000, § 1.

⁴ Pro militibus requiritur commoratio trium mensium, pro aliis sex mensium, post pubertatem. Can. 994, § 1.

⁵ Can. 998, 1; 1406.

⁶ Per sex saltem integros dies ante ordines sacros, per tres integros ante tonsuram et minores ordines. Can. 1001, § 1.

156. Q. *Quid igitur facto opus est ordinando antequam ad ordinem accedat?*

R. 1^o Toto, quod praecedet, exercitiorum tempore se praeparet;

2^o suorum peccatorum exomologesim praemittat;

3^o summa animi pietate ac religione ad ordines accedat;

4^o ad Ssmam Eucharistiam, quantum potest, digne accedere curet.

157. Q. *Si quis, quod Deus avertat, cum conscientia lethalis peccati ad ordines accesserit, novo ne sacrilegii delicto se commaculat?*

R. Si ad ordines sacros accesserit, novum, praeter sacrilegium pro Eucharistia indigne sumpta, commisit; minime vero, saltem probabiliter, si ad minores: modo absit contemptus.

CAPUT V

DE DEFECTIBUS IN SACRA ORDINATIONE
OCCURRENTIBUS

158. Q. *Quid est defectus in ordinatione?*

R. Est absentia ritus debiti circa materiam, vel formam, vel utriusque coniunctionem.

159. Q. *Obligant ne omnes ritus et caeremoniae ordinationis?*

R. Omnes obligant in conscientia et, per

se, sub gravi;¹ attamen non omnes sunt ita essentialia, ut eorum praeteritio aut substantialis corruptio validitatem ordinationis inficiat.

160. Q. *Quot species defectuum numerantur?*

R. Tres numerantur species, prouti vitium refertur ad ordinationis ritum essentialem, aut integram, aut accidentalem.

161. Q. *Quomodo itaque se gerendum in praxi?*

R. 1^o Si omissio aut substantialis corruptio afficit ritum essentialem, tota ordinatio iteranda est, absolute vel conditionate, prout ritus certe vel dubie pertinet ad essentiam, aut prout certe vel dubie fuerit omissus, seu substantialiter corruptus.

2^o Si vitium afficit ritum integram, etsi ordinationem non invalidet, quamprimum suppleri debet.

3^o Si vitium afficit ritum mere accidentalem, nihil supplendum est, ordinatione peracta.²

162. Q. *Quo tempore defectus reparandus est?*

R. Si defectus tempestive innotuerit, repa-

¹ Id iuxta Pontificale R., cuius omnes ordinationis ritus, etsi ad essentiam non pertinentes, observari debent, « nihil negligendo aut omittendo » (PIUS XII, Const. Ap. « Sacramentum ordinis » n. 6).

² Reparatio non obligat, nisi in dubio ex positivis argumentis.

randus est in ipsa ordinatione; sin minus, extra ordinationem, quantocius poterit.³

163. Q. *In concreto, qua ratione cavendum est validitati ordinationis?*

R. In ordinatione ad maiores ordines, eligendo partem tutiorem, servatisque omnibus ritibus; in ordinatione ad minores, partem tutiorem eligere non est necessarium.

164. Q. *Quaenam causa huius diversae rationis agendi?*

R. Quia maiores ordines sunt a Christo instituti, eorumque defectus, si qui forte existant, Ecclesia reparare aut supplere nequit; potest vero defectus minorum, quatenus ipsorum est auctor.

³ Reparatio, si extra ordinationem, fieri potest etiam extra Tempora et secreto. Can. 1007.

PARS III

DE MINORIBUS ORDINIBUS

CAPUT I

DE ORDINIBUS MINORIBUS IN COMMUNI

165. Q. *Est ne ordo sacer unus an multiplex?*

R. Ordo quidem est unus, at plura sunt eius officia, seu gradus quibus ad sacerdotium ascenditur.¹

166. Q. *Quot numero sunt ordines?*

R. Ordines, seu gradus ordinis, in Ecclesia latina sunt septem: quatuor minores — ostiarius, lectoratus, exorcistatus, acolythatus; et tres maiores — subdiaconatus, diaconatus et sacerdotium, complectens presbyteratum et Episcopatum.²

167. Q. *Quo ex tempore existunt ordines in Ecclesia?*

R. In tota Ecclesia sacerdotium et diacona-

¹ « Officia militiae clericalis septem gradibus sunt distincta, quibus sancta Ecclesia septiformis gratiae munere est decorata ». *Enchir. eccles.*, Romae 1676, p. 110.

² In Ecclesia orientali tres agnoscuntur minores ordines — lectoratus, cantoratus et subdiaconatus; et duo ordines maiores — diaconatus et sacerdotium; subdiacono autem omnia minorum ordinum munia deputantur, praeter ea quae sunt lectoris et cantoris.

tus vel ab ipso exordio; subdiaconatus, ut ordo minor, saltem ab ineunte tertio saeculo;³ ordines minores, ut videtur, inde a tertio saeculo in Ecclesia romana.

168. Q. *Quid porro dicendum de cantoratu?*

R. Cantoratus, iam tum ab Ecclesiae incubulis existens, in romana Ecclesia etsi non est ordo,⁴ tamen est officium proprie liturgicum, utpote ad solemnitatem liturgiae, in musica et cantu sacro exsequendo, pertinens.⁵

169. Q. *Quare plures ordinum gradus sunt in Ecclesia constituti?*

R. Ut ita sacerdotium, in quo est plenitudo sacrae potestatis, per plures ministrorum ordines dignius et venerabilius exerceatur, utque nemo ad sacerdotium ascendat nisi post fidelem in inferioribus gradibus famulatum.

170. Q. *Quomodo servatur unitas ordinis in multiplici ordinatione?*

³ Paulo serius in Oriente; numerus autem ordinum minorum apud Orientales non semper, iuxta tempora et loca, idem fuit.

⁴ In orientali Ecclesia est ordo et confertur una cum lectoratu; eiusdem autem, qua ordinis (lato quidem sensu), meminit et nostra liturgia Feriae VI in Passione et Morte Domini, oratione tertia ubi de *confessoribus*: nisi *confessor* idem sit atque *monachus*, aut *confessor fidei*.

⁵ Chori levitarum est, ex se, cantum liturgicum agere; at eius vice cantores ecclesiastici, quamquam laici, proprie fungi possunt et reapse funguntur; munus autem cantorum in Ecclesia vere est liturgicum, ac proinde feminis vetitum. Pius X, Motu Proprio « Inter pastoralis officii » d. d. 22 novem. 1903, n. 1, 12.

R. Quia etsi officia sunt plura, una tamen est collata potestas, unum sacramentum quo ipsa confertur, unus finis in quem officia conspirant,⁶ una denique hierarchia.

171. Q. *Ordines minores sunt ne singuli sacramenta?*

R. Hoc pendet a quaestione, num eos instituerit Christus, an Ecclesia: de qua controversia non constat inter theologos, affirmantibus aliis, aliis negantibus.

172. Q. *Conferunt ne gratiam sanctificantem et characterem?*

R. Qui docent eos esse divinae institutionis et rationem sacramenti habere, volunt eos conferre gratiam ex opere operato et characterem imprimere; qui contra opinantur, nihil quidem horum conferre censent, neque vero gratiam sanctificantem.

173. Q. *Ergo nihil prorsus per ipsos recipitur?*

R. Saltem ut sacramentalia,⁷ per ipsos aliqua gratia recipitur ex opere operantis et ex Ec-

⁶ Omnes enim ordinantur ad unum actum, scilicet consecrationis Eucharistiae.

⁷ *Sacramentalia* sunt res aut actiones, quibus Ecclesia, in aliquam sacramentorum imitationem, utitur ad obtinendum ex sua impetratione effectus praesertim spirituales. Can. 1144. Sex numerantur, iuxta vulgatum versiculum: *Orans, edens, tinctus, confessus, dans, benedicens*. Omnes autem ordinationes quae sunt sacramentalia pertinent ad *benedictiones constitutivas* (cfr. n. 319, nota).

clesiae prece; ⁸ item recipitur potestas quaedam in ordine ad Eucharistiam.

174. Q. *Christus Dominus ostendit ne in sua persona varios ordinis gradus?*

R. Utique, ut iustum est cogitare, Dominus noster, sacri principatus institutor, eiusdem septem gradus revera in se ostendit et Ecclesiae suae exhibendos monstravit, ut forma quae praecessit in Capite repraesentaretur in corpore. ⁹

175. Q. *Quibus tenentur obligationibus qui in aliquo ordine sunt constituti?*

⁸ Scilicet, non vi ritus ordinationis, sed iuxta suscipientis meritum ac dispositiones, et ex Ecclesiae imprecatione.

⁹ En qua ratione quoad singulos ordines:

Ostiarum munus Christus Dominus nobis indicavit quando, flagello de funibus facto, ementes et vendentes eiecit de templo (Io. II, 14);

Lectorum officium ostendit quando, in medio seniorum, Isaiae librum aperuit et distincte ad intelligendum in eo legit (Luc. IV, 16);

Exorcistarum officio usus est quando manu sua tetigit aures surdi et muti, dicens: *Ephphetha*, quod est: *Adaperire*, et quando de Maria Magdalena septem eiecit daemonia (Marc. IX-24; XVI, 9);

Acolythorum officium testatus est in evangelio, dicens: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris* (Io. VIII, 12); adimplevit autem gerens in se materiam sacrificii et in corde suo thus adolens perennis orationis;

Subdiaconorum officio usus est quando, facta coena cum discipulis suis, linteo se praecinxit et mittens aquam in pelvim pedes eorum lavit, linteo extersit et dixit: *Exemplum dedi vobis*, etc. (Luc. XXII, 27; Io. XIII, 15);

Diaconum egit quando, post novissimam coenam, confecta sacramenta manibus propriis dispensavit discipulis

R. Omnes ordinati communi obligatione tenentur:

1^o suscepti ordinis munus exercere;

2^o ecclesiae cui addicti sunt assiduo inseruire;

3^o in spiritualem profectum virtutum sibi convenientium, maxime vero in sacramentorum usum, incumbere.

CAPUT II

DE MINORIBUS ORDINIBUS SINGILLATIM

ARTICULUS I

De ostiariatu

176. Q. *Quid est ostiariatus?*

R. Ostiariatus (a voce *ostium*, *porta*) est primus ordo inter minores, quo clericis traditur potestas seu officium *custodiendi* templum sacramque eius supellectilem, et *vindicandi* reverentiam domui Dei debitam.

177. Q. *Quaenam est huius ordinis materia?*

R. Materia essentialis remota sunt claves,

dicens: *Accipite et manducate... et bibite omnes*, etc. (Matth. XXVI, 26-28);

Sacerdotio functus est quando, in coena novissima, et in cruce, sacerdos pariter et victima, seipsum obtulit pro salute mundi. Cfr. *Enchir. eccles.*, l. c.

quas Episcopus tangendas ordinando tradit; proxima, earum traditio.

178. Q. *Quae huius ordinis forma?*

R. Forma sunt verba, quae Episcopus profert in traditione clavium, hoc est: *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus quae his clavibus recluduntur.*¹

179. Q. *Cum supra dixeris minores ordines ad Eucharistiam referri, explica quomodo id in ostiariatu fiat?*

R. Quatenus scilicet ostiariorum cura tota est ad *externum* ornamentum domus Dei, in qua Eucharistia servatur.

180. Q. *Qui ritus servandus est ab ordinando in susceptione huius ordinis?*

R. Primum genuflexus coram Episcopo, veste talari et superpelliceo indutus, tenensque in manu candelam, reverenter audire debet monita suorum officiorum atque virtutum quibus fulgere debet. Deinde tangere claves, quae ab Episcopo ipsi porriguntur,² manu dextera donec integra prolata fuerit forma. Postea, una cum Archidiacono vel alio eius gerente vicem, accedere ad fores ecclesiae, quas et aperire et claudere, ac ibi mox tintinnabulum seu campanulam pulsare debet. Tandem ad Episcopum redire; ibique genuflexus manere donec, orationibus expletis, Episcopus eum in ostiariorum officio benedixerit.

¹ Claudere et aperire ostium ac pulsare campanas sunt ritus accidentales.

² Hic *claves* porrigi et tangi dicuntur, sed in praxi una tantum sufficit.

181. Q. *Expone nunc, quousque se extendant ostiariorum officia seu potestates?*

R. Eas colligere potes ex superiore definitione. Eorum enim est:

1^o *Custodire* templum Dei et sacram eius suppellectilem; idest ecclesiae ostia suo tempore aperire et claudere; curare ut templum ipsum, vasa sacra, imagines, suppellectilia et cetera ad Dei cultum pertinentia, munda ac nitida sint; et ne quidpiam eorum, quae in ecclesia sunt, depereat.

2^o *Vindicare* reverentiam debitam templo Dei; idest arcere ab ecclesia indignos,³ curare ne quid in ea indecens et indecorum fiat, quod divina officia aut iis adstantes perturbet; ne mulieres divinorum officiorum tempore maneant prope clerum.

182. Q. *Sunt ne alia ostiarii officia?*

R. Ad ipsum praeterea spectat librum aperire ei qui praedicat ac pulsare cymbalum et campanas, queis fidelis populus ad divina officia convocetur.

183. Q. *Nonne et laici plerumque omnia ostiariorum officia exercent?*

R. Exercent utique in clericorum defectu; sed ex commissione, non ex proprio officio, quod nunquam ab Antistite acceperunt.

³ Indigni sunt infideles, apostatae, haeretici non tolerati, publici excommunicati et interdicti; qui etsi Missae interesse nequeunt, tamen possunt admitti ad audiendas conciones. Can. 2250, § 1.

184. Q. *Cedo mihi, quae sint virtutes quibus fulgere debet ostiarius?*

R. In eo nitere debet zelus domus Dei, exemplum bonae vitae, animi fortitudo atque mundities.

ARTICULUS II

De lectoratu

185. Q. *Quid est lectoratus?*

R. Lectoratus (a voce *legere, lectio*) est secundus ordo inter minores, quo clericis traditur potestas seu officium legendi in ecclesia libros sacros, et fidelem populum instruendi.

186. Q. *Quaenam est huius ordinis materia?*

R. Materia remota est liber sacrarum lectionum; proxima est eius traditio per Episcopum.⁴

187. Q. *Quae eius forma?*

R. Sunt verba quae Episcopus dicit dum sacrum codicem tradit, scilicet: *Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio.*

188. Q. *Expone, quomodo hic ordo ad Ssmam Eucharistiam deserviat?*

R. Hoc modo, quia nempe lector fidelium

⁴ Si loco libri epistolarum Breviarium aut Biblia sacra tradantur, ordinatio est valida; secus si aliud codex.

mentes sacra lectione et instructione imbuens, eos disponit ad fidem huius sacramenti, et *internum* ipsorum animarum decus parat, ut illud sumant cum fructu.

189. Q. *Qui ritus servandus est ex parte ordinandi, dum hunc ordinem suscipit?*

R. Indutus veste talari ac superpelliceo, cum candela in manibus, accedere debet ad Episcopum, et coram eo genuflexus, attente audire quae sint eius officia, quibusque virtutibus se exornare debeat. Tum manu dextera tangere librum sibi porrectum, donec tota ab eodem Episcopo prolata fuerit forma. Denique ibi manere devote quousque Episcopus eum, oratione ad Deum facta, in officio lectorum benedixerit.

190. Q. *Enumera nunc, quaeso, lectoris munia, seu potestates?*

R. Eas accepisti breviter in data superius definitione. Sunt enim:

1^o Legere libros sacros Veteris et Novi Testamenti, tum ex suggestu in templo, tum in solemnibus Ecclesiae officiis; ⁵ divinas laudes decantare et praeesse psalmistis.

2^o Instruere fidelem populum, idest tradere pueris et catechumenis ⁶ rudimenta christiana religionis.

⁵ Potissimum vero lectiones I nocturni ad Matutinum; tum primas lectiones in Missis IV Temporum; tum prophetias in Sabbato sancto.

⁶ *Catechumeni* dicuntur, qui in religione et doctrina christiana erudiuntur, ut instructi et probati, subinde baptizentur.

3º Panem denique et omnes fructus novos benedictione invocativa benedicere.⁷

191. Q. *Quae lectoris virtutes propriae?*

R. Sunt lectio et meditatio assidua Scripturarum; diligentia catechismi recte tractandi; sedula oratio pro iis qui catechismo instruuntur; veritatis amor et purae vitae exemplum, ut ita auditores suos verbo et exemplo doceat.

ARTICULUS III

De exorcistatu

192. Q. *Quid est exorcistatus?*

R. Exorcistatus (εξορκέω = expello; εξορκισμος = adiuratio, increpatio, obtestatio) est tertius ordo inter minores, quo clerico traditur potestas exorcizandi, seu expellendi daemones a corporibus energumenorum.⁸

193. Q. *Quaenam est huius ordinis materia?*

R. Materia remota est liber exorcismos continens, aut eius loco Pontificale, vel Missale; materia proxima est eius traditio.

194. Q. *Quae eius forma?*

R. Sunt verba ab Episcopo laudatum librum

⁷ Aliquam nempe orationem recitando ex iis quae in Rituali Romano habentur, et aqua lustrali panem et fructus aspergendo, quin tamen signum crucis manu perficiat et proferat *Dominus vobiscum*.

⁸ Energumeni (efficaci virtute acti, ab ενεργέω = agere) seu a diabolo possessi, sunt ii in quorum corpus, salva libertate voluntatis, diabolus suam exercet potestatem.

tradente prolata, nimirum: *Accipe et commenda memoriae, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos sive catechumenos.*⁹

195. Q. *Quomodo hic ordo Eucharistiae inseruit?*

R. Hoc scilicet modo, quatenus exorcista, invocatione divini nominis, daemonis impedimentum a fidelibus removet, quo arcebantur a veneratione vel sumptione tanti sacramenti.¹⁰

196. Q. *Quinam ritus servandus est a suscipiente hunc ordinem?*

R. Ad eum prorsus modum quem docuimus ubi de lectoratu, debet ad Episcopum accedere, eius admonitiones audire, librum exorcismorum tangere, nec ab eo discedere, nisi postquam eum, divina benedictione, in exorcistarum censu inseruerit.

197. Q. *Praebe nunc mihi exorcistarum potestates seu officia?*

R. Sunt quae retulimus supra: nimirum imponere manus super energumenos, et a corporibus obsessis daemones exorcismis abiicere.

198. Q. *Sunt ne alia exorcistarum officia?*

R. Sunt quidem, recensitae modo potestatis veluti consecraria. Nam ipsorum est parare

⁹ Exorcismi fieri possunt etiam in acatholicos (sive baptizatos, sive non baptizatos) et in excommunicatos. Can. 1152.

¹⁰ Hinc, exorcistae potestas est in ordine ad baptismum, cuius ope patet accessus ad Eucharistiam.

5. Specimen examinis

aquam et salem ceteraque necessaria ad benedictionem aquae, qua utitur Ecclesia in exorcismis. Item ferre vas aquae benedictae ad aspersionem.

199. Q. *Exorcista statim post ordinationem potest ne exorcizandi munere fungi?*

R. Non potest, et graviter peccat si faciat, cum exorcismi in obsessos proferri nequeant sine peculiari et expressa Ordinarii licentia, quae nisi sacerdoti pio, prudenti et integro vitae non conceditur.¹¹

200. Q. *Quae virtutes in exorcista nitere debent?*

R. Istae: spiritus gratiae et precum et mortificationis, cordis puritas, ac animi demissio.

ARTICULUS IV

De acolythatu

201. Q. *Quid est acolythatus?*

R. Acolythatus (*ἀκολουθέω* = *sequor, comitor*; *ἀκόλουθος* = *servus iuvenis, sive pedissequus*) est quartus ordo inter minores, quo clericis traditur potestas sequendi diaconum et subdiaconum in sacrificio Missae, eisque ministrandi vinum et aquam.

202. Q. *Quaenam est huius ordinis materia?*

R. Materia remota duplex est: ceroferarium

¹¹ Can. 1151, § 1, 2.

seu candelabrum cum cereo extincto, et urceoli vacui;¹² materia proxima, eorum traditio.¹³

203. Q. *Quae illius forma?*

R. Prima est quam Episcopus profert, dum ceroferarium tangendum praebet: *Accipe ceroferarium cum cereo, et scias te ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini. R. Amen.*¹⁴

Altera quam pronunciat, dum vacuos urceolos porrigit: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini. R. Amen.*

204. Q. *Quomodo hic ordo ad Eucharistiam refertur?*

R. Palam est, quatenus nempe acolythus subdiaconum et diaconum sequitur in ministerio altaris, ac parat quae necessaria sunt ad Eucharistiae confectionem.

205. Q. *Qui ritus servandus est a suscipiente acolythatum?*

R. Ad eum modum primo se sistere debet coram Episcopo et eius monitiones audire, quem supra diximus de lectore. Secundo, pollice can-

¹² Cereus (ad licitatem tantum) traditur extinctus et urceoli vacui, quia est ministerium acolythi illos accendere et istos implere.

¹³ Utraque materia probabilius dicitur essentialis, quia duplicem significat potestatem; ex ea autem efficitur unum totale, una ordinatio, unus ordo.

¹⁴ *Amen*, quod Pontificale R. praescribit respondendum in traditione vel materiae vel sacrorum indumentorum, iuxta consuetudinem dicendum est ab ordinando. S. R. C., decr. 2682, ad 6.

delabrum et indice cereum tangere, mox urceolos, donec integra recitata fuerit forma; nec surgere debet, nisi postquam Episcopus, divina benedictione, in acolythorum eum numero accensuerit.¹⁵

206. Q. *Dic modo quousque se explicet acolythorum potestas seu officium?*

R. Hoc habes ex dictis. Eorum nempe est:

1° Sequi subdiaconum et diaconum in ministerio altaris eisque deservire ubi ipsorum ministerium requiratur.

2° Parare vinum et aquam ad Eucharistiam, eaque subdiacono ministrare.

3° Accendere luminaria, eaque in publicis officiis deferre (unde et *cerosferarii* nomen), maxime vero dum canitur evangelium.

4° Ignem et thus parare ac thuribulum ferre.

207. Q. *Licet ne acolytho aut alii inferiori clerico subdiaconi deficientis supplere vicem in Missa solemni?*

R. Licet, accedente rationabili causa, dummodo saltem sacra tonsura sint initiati et parati sine manipulo.¹⁶

208. Q. *Quid enim, si manipulum ferant?*

R. Cum manipulum, utpote insigne ordinis

¹⁵ Ritus ordinationis acolythorum est pulchrior ac solemnior quam ritus praecedentium ordinum.

¹⁶ Clericus in iis explendis quae ad subdiaconum ex rubricis spectant, haec servet: 1° Ante offertorium non abstergat calicem et in ipsum aquam non infundat; 2° Calicem, postquam ad altare detulerit, infra actionem

sacri, a clerico minore ferri non possit, qui sciens volens in subdiaconi munere gestaverit, fit irregularis, ob exercitium ordinis non recepti.¹⁷

209. Q. *Acolythi possunt ne vasa sacra tangere?*

R. Acolythi et omnes clerici cuiuscumque ordinis possunt vasa tangere in quibus non sit Eucharistia; imo possunt quicumque eorum custodiam habent.

210. Q. *Cedo, quae sint virtutes acolythorum propriae?*

R. Debent esse solliciti in omni iustitia, bonitate et veritate, seque ipsos per castam vitam et bona opera sacrificium offerre: ut ita eorum lux splendeat coram hominibus et glorificent Deum Patrem qui in coelis est.

nunquam tangat, neque pallam ab eo removeat aut super eum reponat; 3° Post ablutionem non abstergat calicem, sed tantummodo componat more solito, velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat. S. R. C., decr. 4181, ad I et II.

¹⁷ Can. 985, n. 7.

PARS IV
DE ORDINIBUS MAIORIBUS

CAPUT I
DE MAIORIBUS ORDINIBUS IN COMMUNI

211. Q. *Quot sunt ordines maiores et quare vocantur maiores?*

R. Tres sunt: subdiaconatus videlicet, diaconatus et sacerdotium, quod in presbyteratum et episcopatum distribuitur. *Maiores* vocantur, quia ad maiora munia deputantur qui in eis sunt constituti. Vocantur et *sacri*, quia ad Eucharistiam propius accedunt¹ et qui ad eos initiantur, per legem continentiae Deo perpetuo consecrantur. Praeterea diaconatus et sacerdotium dicuntur *hierarchici* quia ad hierarchiam divinitus institutam pertinent, et impositione manuum conferuntur.

212. Q. *Ordines maiores sunt ne sacramenta?*

R. 1^o De fide est ex Tridentino² sacerdotium esse sacramentum Novae Legis, a Christo

¹ « Omnes ordines ex se sacri sunt, quia sunt sacramentum quoddam; sed tres supremi vocantur sacri ratione materiae consecratae circa quam actum habent ». *Summa Theol.*, III Part., Suppl., Q. 37, art. 3 ad 2.

² Sess. XXIII, can. 2, 3.

institutum; praeter sacerdotium esse in Ecclesia alios ordines, et maiores et minores, per quos, veluti per gradus, ad sacerdotium tenditur; ordinem vero, seu sacram ordinationem, esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum.

2^o Certum est, imo fidei proximum, secundum communem theologorum doctrinam, diaconatum esse vere sacramentum.

3^o Utrum subdiaconatus et inferiores ordines habeant Ecclesiam auctorem, an in diaconatu, cuius sunt partitiones, tamquam in suo fonte a Christo sint instituti, disputant theologi, cum pari utrinque probabilitate.

213. Q. *Qua ratione dici potest tres ordines maiores, invicem distinctos, unum et unicum esse sacramentum Ordinis?*

R. Quia eorum mutua distinctio est in Ordine, seu sacra potestate, non in sacramento: aliis verbis, non sunt tria distincta sacramenta, sed unius et unici sacramenti Ordinis tres adaequate distinctae participationes.³

214. Q. *Quibus tenentur peculiaribus obligationibus ordinati in maioribus?*

R. 1^o Perpetuam continentiam servare;⁴

³ *Summa theol.*, P. III, Suppl., Q. XXXVII, a. I, ad II.

⁴ Intellige de *lege*, non de *virtute* continentiae, cuius est nullo vitio subiici et abstinere a passionibus corporis et animae.

- 2^o horas canonicas divini Officii persolvere;
 3^o titulum canonicum sustentationis sibi comparare;
 4^o habitum ecclesiasticum et tonsuram clericalem (ut omnes clerici) gestare.⁵

§ I - DE OBLIGATIONE PERPETUAE CONTINENTIAE

215. Q. *Quoniam de obligatione incedendi in tonsura et habitu clericali nihil est quod nos detineat amplius, explica, quaeso, quid importet continentiae onus maioribus clericis impositum?*

R. Importat abstinentiam a nuptiis⁶ et perfectam castitatem.⁷

216. Q. *Quo iure statuta est lex continentiae clericalis?*

R. A Christo Domino tantummodo insinuata, statuta est iure Ecclesiae;⁸ nec enim ex rei natura, neque ex iure positivo divino status clericalis statui coniugali repugnat.⁹

217. Q. *Cur Ecclesia in sacris constitutis perpetuam continentiam indixit?*

R. Ut alieni a domesticis curis et affectu non divisi, officiis divinis ac proximorum saluti procurandae expeditius ac plenius vacarent.

⁵ Can. 136, § 1; 2379.

⁶ Ita ut illicite et invalide matrimonium attentent clerici in sacris ordinibus constituti. Can. 1072.

⁷ Scilicet interdictionem ab omnibus actis internis et externis contra castitatem.

⁸ Unde in hac lege Summus Pontifex dispensare potest, quamvis de facto non nisi perraro et de gravissima causa dispensare soleat.

⁹ Ob hanc rem ea lex non semper est observata, sed varietati obnoxia fuit.

218. Q. *Huiusmodi obligatio, cui clericus se adstringit, aequivalet ne voto?*

R. Ita sentimus. Voluntas enim suscipiendi in obsequium Dei ordinem cui obligatio custodiendae castitatis adnexa est, aequivalet promissioni Deo factae de continentia servanda.¹⁰

219. Q. *Hoc votum implicitum habet ne etiam rationem voti solemnem?*

R. Habet: fit enim in facie Ecclesiae, et ab Ecclesia tali modo acceptatur.

220. Q. *Si quis ignoraret ordini sacro impositam ab Ecclesia castitatis legem, teneretur ne ad eius observationem?*

R. Teneretur sane: quia qui vult ordinem, implicite vult etiam obligationes ei adnexas.

221. Q. *Quid, si quis subdiaconatum animo recipiens, nollet se castitate illigare?*

R. Mortalem profecto culpam patret, ac nihilo minus teneretur, saltem ex praecepto Ecclesiae, castitatem servare.

222. Q. *Qui in sacris constitutus peccat contra castitatem, quot peccata committit?*

R. Duo: unum contra virtutem temperantiae seu castitatis; alterum vero contra religionem, sive ob votum, sive ob Ecclesiae legem.

223. Q. *Quid, si clericus in sacris constitutus matrimonium contrahere attentaret, aut civilem actum poneret?*

¹⁰ Hinc, iuxta communiorem sententiam, qui subdiaconatum recipit, eo ipso castitatis votum nuncupare censetur, etsi nihil expresse promittit.

R. Certe crimen sacrilegii committeret contra votum seu obligationem servandae castitatis et contra sacramentum matrimonii quod irritum faceret;

insuper fieret irregularis ex delicto,¹¹ in excommunicationem incurreret Sedi Apostolicae simpliciter reservatam et, si monitus intra tempus ab Ordinario praefinitum non resiperet, degradationi obnoxius esset.¹²

§ 2 - DE RECITATIONE HORARUM CANONICARUM

224. Q. *Quid sunt horae canonicae?*

R. Sunt quaedam preces vocales ab Ecclesia constitutae statutis horis et certo ritu Deo, ipsius Ecclesiae nomine, persolvendae.¹³

225. Q. *Quot sunt horae canonicae?*

R. Sunt septem: nempe matutinum cum laudibus, et dicitur hora nocturna; prima, tertia, sexta, nona, vesperae et completorium, et dicuntur horae diurnae.

226. Q. *Cur hoc pensum sacris initiatis imponitur?*

R. Ut ita Ecclesia militans coniuncta fiat triumphanti Ecclesiae, quae incessanter, divinas praedicat laudes; atque ut clerici illud Christi praeceptum adimpleant, quo praecipitur: *Oportet semper orare.*¹⁴

¹¹ Can. 985, 3o.

¹² Can. 2388. Salvo praescripto de officii vacatione. Can. 188, n. 5.

¹³ Can. 135.

¹⁴ Luc., XVIII, 1.

227. Q. *Est ne gravis obligatio divini Officii recitandi?*

R. Per se est gravis, et graviter peccat qui sine causa sufficienti notabilem eius partem omittit.¹⁵

228. Q. *Qui integrum Officium persolvere nequit, tenetur ne partem recitare quam potest?*

R. Qui saltem aliquam partem notabilem recitare potest, ad eam tenetur, cum Ecclesiae praeceptum obliget ad omnes et singulas horas persolvendas.¹⁶

229. Q. *Quo ab tempore ordinati ad recitationem horarum canonicarum incipiunt obligari?*

R. Statim ac sunt ordinati; quam ob rem obligantur saltem ad eam partem quae respondet horae susceptae ordinationis.

230. Q. *Quale Officium ab iis recitandum est?*

R. Officium Breviarii Romani, idque iuxta praescriptum Calendarii dioecesanii.¹⁷

231. Q. *Qui Breviario Romano carens aliud haberet, teneretur ne isto uti?*

R. Teneretur utique: est enim strictius praeceptum servare substantiam Officii, quam mo-

¹⁵ Pars notabilis censetur una hora minor, seu quaevis pars aequivalens. Peccatum autem unum est, gravius aut levius, pro gravitate omissionis.

¹⁶ Cum autem Officium sit onus diei affixum, transacto die amplius non obligat.

¹⁷ Exceptis iis, qui proprium Breviarum et Calendarium habent.

dum; praeterea plura in illo invenirentur conformia Breviario Romano.¹⁸

232. Q. *Valet ne officium diei in aliud commutatum?*

R. 1^o Officium pro Officio valet ex errore involuntario, sed probabilius error corrigi debet ubi deprehenditur.

2^o Qui Officium scienter mutat in aliud fere aequale sine rationabili causa, leviter peccat; secus, si raro ex qualibet rationabili causa,¹⁹ non peccat.

233. Q. *Quo tempore recitandae sunt horae canonicae?*

R. In privata recitatione ad evitandam mortalem culpam sufficit si recitetur totum Officium a media nocte ad alteram mediam noctem;

imo matutinum cum laudibus ab hora secunda²⁰ post meridiem diei praecedentis recitari valet;

matutinum, laudes, prima et tertia ante meridiem, vesperae autem et completorium post meridiem, sub levi, recitari praecipiuntur.

234. Q. *Licet ne inceptas horas abrumpere?*

¹⁸ Cfr. Const. Ap. *Divino afflatu* Breviario R., praemissa. Alii tamen rem incertam putant: hinc enim non satisfacit Officio qui alio Breviario utitur; inde finis praecepti per se non cadit sub praecepto.

¹⁹ Causa rationabilis foret, ex. gr., maior devotio, caritas, occupatio. Hoc intellige de recitatione privata.

²⁰ Id ex lege communi; nam ex indulto aut privilegio poterit antea recitari.

R. Sine causa non licet;²¹ sed nulla interruptio est grave peccatum, neque quis tenetur dicta repetere.

235. Q. *Est ne peccatum invertere horarum ordinem?*

R. Veniale peccatum est, si fiat sine causa; hac autem exstante nullum prorsus peccatum est.

236. Q. *Quo modo recitandae sunt horae canonicae?*

R. Recitandae sunt *studiose* atque *devote*.

237. Q. *Explica, qua ratione* *studiose?*

R. Ita ut pronuntiatio verborum integra sit atque distincta; ut sit sensibilis, seu per se recitanti perceptibilis.

238. Q. *Dic, qua ratione* *devote?*

R. Sic nimirum, ut habeatur intentio orandi et laudandi Deum, mentis attentio ac reverentia externa.

239. Q. *Quid si quis alio distractus recitet Officium?*

R. Si distractio est involuntaria, peccatum non est; et si cum primum advertit recitans se recolligat, praecepto satisfacit; si vero est voluntaria, culpabilis est, nec is adimplet praeceptum.

240. Q. *Qua ratione* *mentis evagationes cavendae sunt?*

R. 1^o Eligatur locus a strepitu et a distractionibus remotus;

²¹ Causa legitima est, e.g., rubrica de abruptione nocturnorum ad matutinum in recitatione privata.

2º preparatio aliqua praemittatur;

3º identidem mens ad Deum assurgat, praesertim vero in fine cuiuslibet psalmi.

241. Q. *Quare, tanta cura in recitatione adhibenda proponitur?*

R. Quia Officii recitatio est munus prope angelicum et ex eius bona recitatione quam maxime pendet progressus in virtutibus; praeterea Officium est medium efficax ad servandam continentiam et plures indulgentias lucrandas.²²

²² Indulgentiae officii divini recitationi adnexae.

Clericis omnibus, inde a prima tonsura, necnon novitiis et studentibus quorumcumque institutorum religiosorum, sive qui forte ex proprii Instituti constitutionibus, sive etiam qui nullo adhuc titulo ad divini Officii recitationem adstringantur, si integrum memoratum Officium, etsi in partes distributum, coram Ssno Sacramento, seu publicae adorationi solemniter exposito, seu etiam in sacro tabernaculo adservato, pie recitaverint, eadem conceduntur indulgentiae ac clericis in sacris constitutis, ut infra, n. 736 a et b (*S. Paen. Ap.*, 31 mart. 1937). Cfr. *Enchirid. Indulgent.*, a. 1952, n. 731.

Citatus autem n. 736 haec habet:

« Recitatio divini Officii coram Ss.mo Sacramento.

a Clericis in sacris constitutis, qui integrum divinum Officium, quamvis in partes distributum, coram Ssno Sacramento, sive publicae adorationi exposito sive in tabernaculo adservato, devote recitaverint, conceditur:

Indulgentia plenaria, si praeterea sacramentalem confessionem instituerint, ad eucharisticum Convivium accesserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint (*S. Paen. Ap.*, 23 oct. 1930).

b Iis vero, qui divinum Officium coram Ssno Sacramento, ut supra, ex parte tantum recitaverint, conceditur: *Indulgentia quingentorum dierum* pro unaquaque, ut dicunt, hora canonica (*S. Paen. Ap.*, 18 maii 1933).

242. Q. *Quaenam sunt causae a recitatione Officii excusantes?*

R. 1º *Impotentia physica*, uti caecitas;

2º *impotentia moralis*, seu grave damnum ex recitatione, sibi vel aliis proveniens, ut in casu gravis infirmitatis;

3º *dispensatio* Summi Pontificis, modo preces veritate nitantur.²³

§ 3 - DE TITULO ORDINATIONIS

243. Q. *Quid est titulus ordinationis?*

R. Est cautio a sacris canonibus requisita, qua clericus providetur de sufficienti ac perpetua sustentatione.

244. Q. *Cur Ecclesia neminem vult sacris initiari, nisi aliquem titulum habeat?*

c Iisdem autem clericis, qui divinum Officium in alias preces commutatum rite obtinuerint, si preces eiusmodi coram Ssno Sacramento, uti supra, devote recitaverint, conceditur *Indulgentia plenaria*, additis sacramentali confessione, sacra Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis (*S. Paen. Ap.*, 7 nov. 1932).

Indulgentia trium annorum (*S. Paen. Ap.*, 1 dec. 1933) concessa pro oratione *Sacrosanctae* cum versiculis et *Pater, Ave*, in nova simplificatione adnexa est *Antiphonae finali* Beatae M. Virginis. (Decret. S. R. C. de Rubr. ad simpl. formam redigendis, 23 martii 1955).

Clericis in sacris constitutis et sacerdotibus qui, expleto Officio divino supra relatam orationem flexis genibus, nisi aliquod obstet impedimentum, recitaverint, Leo X defectus et culpas in eo persolvendo, ex humana fragilitate contractas, indulget (*S.C. Indulg.*, 26 iul. 1855).

²³ Non excusat ab Officii recitatione interdictum, suspensio, excommunicatio, degradatio: nemo enim ob delictum a suis obligationibus eximi debet.

R. Ne Ecclesiae ministri, ob defectum congruae sustentationis, mendicare aut turpem aliquem quaestum exercere coacti, a vacando rebus divinis et studio impediuntur.

245. Q. *Qui et quot sunt ordinationis tituli?*

R. 1° Pro clericis saecularibus est *beneficium*, eoque deficiente, *patrimonium* aut *pensio* sive *canonica* sive *civilis*.

2° Pro religiosis:

si regulares, *professio sollemnis*, seu titulus, ut dicitur, *paupertatis*;

si votorum simplicium perpetuorum, titulus *mensae communis*, aut *congregationis*, aliusve similis, ad normam constitutionum;

si iure saecularium reguntur, idem ac clerici saeculares. ²⁴

246. Q. *Qualis debet esse titulus ad sacram ordinationem idoneus?*

R. Debet esse et vere *securus* pro tota ordinati vita et vere *sufficiens* ad congruam eiusdem sustentationem, secundum normas ab Ordinariis dandas pro diversis locorum et temporum necessitatibus et adiunctis. ²⁵

247. Q. *Dic modo, quid est beneficium?*

R. Est ius perpetuum, auctoritate Ecclesiae constitutum, percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale.

248. Q. *Quid est patrimonium?*

R. Sunt bona certa et stabilia, non tamen

²⁴ Can. 979, § 1; 982, § 1, 2, 3.

²⁵ Can. 979, § 2.

ecclesiastica, ordinandi: sive pecunia numerata, sive in tutis et frugiferis fundis vel nominibus collocata.

249. Q. *Quid est pensio canonica?*

R. Est ius percipiendi annuos fructus ex beneficio alterius.

250. Q. *Quid est pensio civilis?*

R. Est ius ad censum per aliquam personam laicam vel ecclesiasticam, physicam vel moralem, clerico solvendum et super bonis stabilibus fundatum.

251. Q. *Quid, si clerico saeculari ne unus quidem ex his titulis praesto sit?*

R. Titulis ordinariis deficientibus suppleri potest titulo *servitii dioecesis*, et, in locis S. Congregationi de Propag. Fide subiectis, titulo *missionis*: ita tamen ut ordinandus, iureiurando interposito, servitio dioecesis aut missionis perpetuo se devoveat sub Ordinarii loci pro tempore auctoritate ²⁶

252. Q. *Quid faciendum, si ordinatus in sacris amiserit titulum?*

R. Titulo amisso, ordinatus alium sibi provideat, nisi Episcopi iudicio aliter eius congruae sustentationi cautum sit. ²⁷

253. Q. *Potest ne dimitti beneficium cuius titulo clericus est ordinatus?*

²⁶ Can. 981, § 1. Idem, quoad titulum *missionis*, dicendum de locis S. C. pro Ecclesia Orientali subiectis. Cfr. *Collectan. S. C. de Prop. Fide*, II, 48, 6 et II, 70, 1894.

²⁷ Can. 980, § 1.

6. *Specimen examinis*

R. Non potest dimitti nisi, ex Ordinarii consensu, alius legitimus titulus substituatur.²⁸

254. Q. *Patrimonii bona possunt ne alienari, permutari, aut remitti?*

R. Nequeunt, sub poena nullitatis, alienari, permutari, aut remitti, neque in toto, neque in parte, nisi de licentia Ordinarii et subrogatis aliis patrimonialibus bonis non minoris redditus.

255. Q. *Qui nullo vel ficto titulo ordinantur, quam poenam incurrunt?*

R. Graviter quidem peccant; sed in nullam incidunt latae sententiae poenam, nec per se prohibentur ab exercitio ordinis.²⁹

CAPUT II

DE MAIORIBUS ORDINIBUS IN SPECIE

ARTICULUS I

De sacro subdiaconatus ordine

256. Q. *Quaenam praerequiruntur in eo qui ad sacrum subdiaconatus ordinem ascendere petit?*

R. 1° Ut iam tonsura et quatuor minoribus ordinibus sit initiatus;

2° ut aetatem habeat viginti unius annorum completorum;

²⁸ Can. 1485.

²⁹ Qui vero aliquem ad ordines maiores sine titulo canonico promoverit, in suspensionem per annum ab ordinum collatione ipso facto incurrit. Can. 2373, § 3.

3° titulus canonicus sustentationis;

4° scientia sufficiens.

257. Q. *Quaenam est scientia sufficiens requisita?*

R. Debet esse litteris instructus et tertium annum theologici cursus fere explevisse; tum scire obligationes ipsi proprias; tum demum ea quae ad ordinem suscipiendum et exercendum pertinent.

258. Q. *Quid est subdiaconatus?*

R. Subdiaconatus (*ὑποδιάκονος* = *subminister*) est primus ordo inter maiores et sacros, quo traditur spiritualis potestas ministrandi diacono et sacerdoti in Missae sacrificio, et legendi epistolam in Missa solemni.

259. Q. *Quaenam huius ordinis materia?*

R. Materia remota sunt calix vacuus cum patena vacua et liber epistolarum; proxima, eorum traditio.¹

260. Q. *Cur calix vacuus cum vacua patena traditur?*

R. Ad significandam potestatem quam habet subdiaconus parandi panem et vinum pro Eucharistiae consecratione.

261. Q. *Quaenam eius forma?*

R. Duplex, sicut materia:

Prior est, quae ab Episcopo profertur in

¹ Ad validitatem non requiritur ut calix sit consecratus (S. C. S. Officii, 28 ian. 1937), neque ut calix et patena sint vacua.

traditione calicis cum patena: *Videte cuius ministerium vobis traditur: ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.*

Altera, in traditione libri epistolarum, est: *Accipite librum epistolarum et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*²

262. Q. *Quinam ritus servandus est ab ordinando in susceptione subdiaconatus?*

R. Primo indutus amictu (non tamen super caput), alba et cingulo, manipulum habens in manu sinistra et tunicellam super brachio, stat coram Episcopo genuflexus, a quo studiose audit continentiae legem et admonitiones circa onus quod suscipit. Deinde pronus recumbit, dum recitantur preces a clero et Episcopo super ipsum et litaniae Sanctorum. Deinde surgit, et iterum Episcopi monita audit de officiis suis rite obeundis. Quarto tangit manu dextera, et tactu physico,³ calicem vacuum et vacuum patenam ab Episcopo porrecta; subinde urceolos aqua et vino plenos una cum pelvi et linteolo, quo manus absterguntur, ab Archidiacono accipit. Tandem amictu, manipulo et tunica ab

² Traditio calicis cum patena est ritus essentialis, traditio libri epistolarum est integralis, vestitio accidentalis. Iuxta quosdam, oratio: *Domine sancte, ... benedicere dignare, est complementum essentialis.*

³ Ex Pontificali R. ad validitatem sufficit patenam tangere *mediate*, seu ad modum unius cum calice.

Episcopo indutus,⁴ tangit epistolarum librum, atque ad sua loca secedit.

263. Q. *Cuiusnam coloris debent esse paramenta ordinationis?*

R. Pro omnibus ordinandis in sacris, debent esse eiusdem coloris ac paramenta celebrantis, nisi aliud necessitas postulet.⁵

264. Q. *Quousque se extendit subdiaconi potestas, seu officium?*

R. 1° Diacono in Missa solemni debet ministrare;

2° calicem et patenam in sacrificii usum diacono offerre;

3° panem et vinum parare et aquam in calicem infundere postquam diaconus vinum iniecit;

4° epistolam legere in Missa solemni, aut canere;

5° evangelii librum diacono canenti apertum tenere et sacerdoti celebranti osculandum praeberre;

6° crucem in processionibus deferre;

⁴ De sacris vestibus ait antiquus scriptor: « Vestes quibus corpus exterius decoratur sunt virtutes quibus interior homo perornatur »; quae verba confirmat Pontificale R. quoad vestes subdiaconi. *Amictus* enim est velut galea salutis ad expugnandos diabolicos incursus, et designat castigationem vocis. *Alba* est indicium candoris cordis et morum, requisiti in sacrorum ministris. *Cingulum* denotat castitatem et sedulitatem in ministrando. *Manipulus*, seu *sudarium*, vestis subdiaconi propria, explicat fructum bonorum operum et poenitentiae labores. *Tunicella* monet altari ministrandum esse cum interiori laetitia et exteriori iucunditate.

⁵ S. R. C., decr. 3832, ad VI.

7° pallas, corporalia et purificatoria abluere.

265. Q. *Peccaret ne graviter subdiaconus qui, conscius lethalis culpa, altari inserviret?*

R. Peccaret utique, sed videtur non graviter, quia eius circa Eucharistiam ministerium non est immediatum.

266. Q. *Quid Episcopus, ordinatione peracta, subdiacono imponit?*

R. Recitationem nocturni, sine versiculis et lectionibus; qui debet esse unicus feriae, vel primus festi, aut dominicae, prout ordinatio in feria, festo, aut dominica habita sit.⁶

267. Q. *Quaenam sunt virtutes subdiaconorum propriae?*

R. Subdiaconi debent esse ad ecclesiam assidui si usque modo fuerunt tardi, vigiles si somnolenti, sobrii si ebriosi, casti si inhonesti.

ARTICULUS II

De sacro atque hierarchico diaconatus ordine

268. Q. *Quaenam requiruntur in subdiacono, qui sacro diaconatus ordini initiari cupit?*

R. Praeter receptum subdiaconatus ordinem, viginti duos annos completos et titulum, requiritur scientia sufficiens ad obeunda munera, seu inceptus quartus annus theologici cursus.

269. Q. *Quid est diaconatus?*

⁶ S. R. C., decr. 4042, ad I.

R. Diaconatus (*διάκονος* = *minister*) est secundus ordo inter maiores et sacros, quo traditur ordinando spiritualis potestas proxime inserviendi sacerdoti vel Episcopo sacra facientibus.

270. Q. *Diaconatus est ne sacramentum?*

R. Non est de fide, cum neque in sacris Litteris inveniatur expresse, neque ab Ecclesia dogmatico decreto definitum fuerit; temerarius tamen esset qui id negare auderet.

271. Q. *Cur temerarius?*

R. Quia diaconatum esse sacramentum certum est, imo fidei proximum, cum non desint quae illum in sacramentorum numero ponere nos cogunt: praecipuum illud, quod tribus iis praeditus sit quae necessaria et sufficientia sunt ad veri sacramenti rationem.

272. Q. *Quaenam isthaec sunt?*

R. 1° *Signum sensibile*, quia confertur per orationem cum manus impositione;⁷

2° *gratia sanctificans*, quia in eo datur Spiritus Sanctus;⁸

3° *divina institutio*, quia pertinet ad hierarchiam, quam scimus divinitus institutam.⁹

273. Q. *Quinam sunt praecipui ritus diaconalis ordinationis?*

⁷ Id ex infra dicendis patebit.

⁸ Episcopus siquidem in ordinatione ait: *Accipe Spiritum Sanctum*, quae verba ab eo frustra non dicuntur. Conc. Trid., sess. XXIII, can. 4.

⁹ Ordinis hierarchia, ex divina institutione, constat Episcopis, presbyteris et ministris; ministrorum autem nomine intelliguntur diaconi. Conc. Trid., sess. XXIII, can. 6.

R. 1° Impositio manus Episcopi ad dandum Spiritum Sanctum;

2° traditio libri evangeliorum.

274. Q. *Quaenam est diaconatus materia essentialis?*

R. Est manus Episcopi impositio, quae in huius ordinationis ritu una occurrit.

275. Q. *Quaenam eius forma?*

R. Sunt verba praefationis, quorum haec, prouti essentialia, ad valorem requiruntur: *Emitte in eum, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septiformis gratiae tuae munere roboretur.*¹⁰

276. Q. *Qua ratione manus Episcopi impositio fieri debet?*

R. Ex praecepto fieri debet ordinandi caput physice tangendo, quamvis etiam tactus moralis ad valorem sufficiat.¹¹

277. Q. *Comprobatur ne adesse in hac ordinatione unionem formae cum materia?*

R. Utique comprobatur: non quidem per simultaneam applicationem, sed per continuitatem

¹⁰ PIUS XII, Const. Ap. « Sacramentum ordinis », n. 5. Sic resoluta sunt dubia, sive de huius ordinis *materia*, utrum ad valorem, praeter manus impositionem, traditio instrumentorum requiratur; sive de *forma*, utrum potius quam in supra relatis, consistat in verbis: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur* etc., quae Episcopus profert cum dexteram extensam ponit super caput cuilibet ordinando.

¹¹ PIUS XII, l. c., n. 6.

tem totius ritus et per ipsius formae verba, materiam univoce determinantia.¹²

278. Q. *Quinam est ritus servandus a diacono in actu suae ordinationis?*

R. Iisdem vestibis indutus quemadmodum subdiaconus (tunica excepta) prosternit se ad litanias sanctorum: tum recedit ac, post epistolam, stola gestans sinistra manu ac dalmaticam super brachium sinistrum tenens, Episcopum adit, a quo attente admonitiones atque praecepta sui muneris audit: ac post acceptam manus episcopalis impositionem, stola transversa induitur, tum dalmatica,¹³ deinde librum evangeliorum tangit, seceditque ad locum suum ac, cum tempus evangelii advenerit, illud legit aut canit.

279. Q. *Dic, precor, quo se explicent diaconorum functiones?*

R. Functiones *ordinariae* sunt:

1° Sacerdoti vel Episcopo solemniter celebranti proxime ministrare;¹⁴

¹² Talis unius eiusdemque ritus continuatio quid unum morale constituit; idque eo magis quia praefatio tota ad hoc composita est, ut clare appareat in quem finem manus impositio fiat. Cfr. PIUS XII, l. c., n. 4.

¹³ *Stola* (latine *vestimentum*, dicta etiam *orarium*) est vestis diaconorum propria, quam decussatim seu transversim gestant quo facilius ministrare possint, et iuxta Pontificale R. significat innocentiam vitae qua munus suum implere debent et laborem in vinea Domini. *Dalmatica* differt a tunicella ob maiorem amplitudinem; est ornamentum solemnitatis et laetitiae, monetque esse ministrandum altari cum interiore gaudio, quod a iustitia et pietate seiungi nequeat.

¹⁴ Id autem sive in Missa sive in aliis functionibus.

2º evangelium solemniter in Missa decantare;

3º praedicare.

Functiones *extraordinariae* sunt:

1º Eucharistiam ministrare;

2º baptizare solemniter, seu cum ritibus et caeremoniis ab Ecclesia praescriptis. ¹⁵

3º exsequias agere.

280. Q. *Potest ne diaconus quovis tempore solemniter baptizare?*

R. Minime; sed solummodo cum adest iusta causa et accedit parochi vel Ordinarii licentia: quae legitime praesumitur cum urget necessitas. ¹⁶

281. Q. *Idem ne dicendum de Eucharistiae distributione?*

R. Ita sane: diaconus enim est minister tantum extraordinarius tum baptismi conferendi, tum Eucharistiae ministrandae. ¹⁷

282. Q. *Potestne diaconus praedicare in ecclesia?*

R. Potest cum praedicandi munus sit diaconi proprium: semper tamen de Ordinarii facultate. ¹⁸

¹⁵ Baptismus non solemniter, tantum si urgeat necessitas, a quovis ministrari potest, dummodo adsint materia et forma debita, eorum coniunctio et intentio faciendi quod facit Ecclesia. Can. 742, § 1.

¹⁶ Can. 741; 845, § 1. Peccat, si indebite id faciat, sed non fit irregularis, quia facit vi suscepti ordinis.

¹⁷ Can. 845, § 2. Attamen est minister ordinarius expositionis, repositionis et translationis SS. Sacramenti. Can. 1274, § 2.

¹⁸ Can. 1342.

283. Q. *Idem ne permittitur ceteris clericis?*
R. Rationabili de causa, iudicio Ordinarii et in casibus singularibus, clericis permittitur, non vero laicis, etsi religiosis. ¹⁹

284. Q. *Licet ne diacono benedicere?*

R. Licet in casibus expresse a iure permissis. ²⁰

285. Q. *Quid de potestate diaconi quoad exsequias ac domorum benedictionem?*

R. Diaconus potest omnes exsequias persolvere, deficiente presbytero et de Ordinarii loci, vel parochi licentia; ²¹ sed nequit cadavera comitari pluviali indutus ac, de unius parochi venia, sepulturas benedicere.

286. Q. *Quid vero quoad domorum benedictionem?*

R. Non potest simplex diaconus domos benedicere in Sabbato Sancto. ²²

287. Q. *Dic tandem, peccat ne diaconus si in peccato mortali propria sui ordinis ministeria exercent?*

R. Mortaliter peccat, si baptismum solemnem ministrat, saltem venialiter, si Eucharistiam

¹⁹ Can. 1147, § 4.

²⁰ In administranda Eucharistia potest benedicere populum, sive manu, cum in ecclesia dat communionem, sive pyxide, in communione infirmorum. Can. 1274, § 2; Rituale R., tit. V, c. II, 10; c. IV, 29. In functione Sabbati Sancti cereum paschalem solemniter benedicit. Videtur non posse sanctorum reliquias exponere ac fidelibus osculandas praeberere (*Ephem. Liturg.*, 1891, p. 49).

²¹ Rituale R., tit. VII, c. III, n. 19; c. VII, n. 5. Haec licentia est « gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur ».

²² S. R. C., decr. 2729.

dispensat; non vero, etsi gravem committit irreverentiam, si cetera ministeria exercet.²³

288. Q. *Quae sunt virtutes diaconorum propriae?*

R. Diaconi debent esse nitidi, mundi, puri et casti, sicut decet ministros Christi, et curare debent ut evangelium quod ore annuntiant, vis operibus exponant.

ARTICULUS III

De sacro atque hierarchico presbyteratus ordine

289. Q. *Quaenam requiruntur in eo, qui ad sacrum presbyteratus ordinem promoveri exoptat?*

R. Praeter ea quae diximus de diacono, requiruntur viginti quatuor anni completi aetatis, ac insuper quartus annus theologici cursus ultra medietatem, seu talis scientia, qua ipse idoneus sit ad populum docendum ea quae omnibus scire necessarium est ad salutem, et ad sacramenta ministranda.

290. Q. *Quid est presbyteratus?*

R. *Presbyteratus, seu seniorum ordo*²⁴ (*πρεσβύτερος = senior*) est tertius ordo inter maiores et sacros, quo traditur ordinando spiri-

²³ Iuxta alios nunquam, utique mortaliter, peccat, quia eius actio non est sensu stricto sacramentalis.

²⁴ *Seniorum ordo* vocatur « non solum propter aetatis maturitatem quae huic ordini maxime necessaria est, sed multo magis propter morum gravitatem, doctrinam et prudentiam ». Cat. Rom., *De Ordine*, n. 2.

tualis potestas tum consecrandi et offerendi corpus et sanguinem Christi, tum remittendi et retinendi peccata.

291. Q. *Est ne presbyteratus sacramentum?*

R. Utique, et est de fide ex Tridentino dicente « ordinem sive sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum ». ²⁵ Porro sacerdotium primum locum inter ordines tenet. ²⁶

292. Q. *Sunt ne in ordinatione presbyteri tria elementa sacramenti?*

R. 1° *Signum sensibile* adest, quia sacerdotium per impositionem manuum confertur;

2° *gratia*, quia sequitur ipsam impositionem manuum, uti compertum est ex Apostolo,²⁷ et ex Tridentino decernente per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum;²⁸

3° *divina institutio*, quia potestas sacerdotio adnexa a Christo Domino, idque perpetuo ac permanentemente, collata fuit.²⁹

293. Q. *Quaenam relationes presbyteratum inter et episcopatum?*

R. Ipsi unum sacerdotium constituunt et ob

²⁵ Sess. XXIII, can. 3.

²⁶ « Tota plenitudo sacramenti ordinis est in uno ordine, scilicet sacerdotio; sed in aliis est quaedam participatio » (*Summa Theol.*, III Part., Suppl. q. 37, a. 1 ad 2 et 3).

²⁷ I Tim., XIV, 14; II Tim., I, 6.

²⁸ Sess. XXIII, can. 4.

²⁹ Luc., XXII, 19; Io., XX, 23; I Cor., XI, 25 sqq.

quaedam elementa communia, communi sacerdotii nomine designantur. Attamen episcopatus ex divina institutione est presbyteratu superior.³⁰

294. Q. *In quo Episcopi presbyteris praestant?*

R. 1° In potestate ordinis, quia supremum hierarchiae gradum obtinent, presbyteri vero secundum;³¹

2° in potestate iurisdictionis, quia ex se possunt:

³⁰ De istis relationibus sequentes quaestiones inter theologos disputantur:

1° Plures affirmant presbyteratum esse unum sacramentum cum Episcopatu, ita ut episcopalis consecratio non imprimat characterem distinctum a characterem presbyteratus, sed tantum, hunc amplificando, extendat ad alios effectus, nempe ad potestatem ordinandi et confirmandi. Multi autem, praesertim recentiores, — hac ratione ducti quod episcopalis consecratio est sacramentum habens formam distinctam ac distinctam conferens potestatem, consecrandi nempe et confirmandi, — censent Episcopatum, seu consecrationem episcopalem, et presbyteratum esse duos ordines et duo sacramenta plane inter se distincta, distinctum characterem imprimantia. In utraque sententia salva sunt sacramentalitas et discrimen ordinationis, quae iure divino statuuntur Episcopum inter et presbyterum.

2° Insuper theologi disceptant, utrum episcopalis consecratio ex se conferat solummodo potestatem episcopalem proprie dictam, an totam potestatem sacerdotalem, ita ut qui, nondum presbyter in Episcopum ordinatus sit, eo ipso fiat Episcopus pariter et presbyter.

³¹ Unde Pontificale R. presbyteros vocat « minoris ordinis sacerdotes », « sequentis ordinis viros et secundae dignitatis », « secundi meriti munus obtinentes ».

omnia sacramenta conferre et omnes consecrationes conficere, quod presbyteri nequeunt; ecclesias regere potestate ordinaria et plena, presbyteri autem subordinata et veluti eorum cooperatores.³²

295. Q. *Quinam sunt presbyteratus conferendi ritus praecipui?*

R. 1° Triplex manuum Episcopi impositio;
2° sacrarum vestium (stolae et planetae) traditio;

3° manuum inunctio;

4° traditio calicis cum vino, et patenae cum hostia;

5° promissio obedientiae;

6° concelebratio cum Episcopo consecrante.

296. Q. *Quaenam est materia essentialis ordinationis presbyteralis?*

R. Est prima manuum Episcopi impositio (*χειροθεσία*), quae silentio fit; non secunda (*χειροτονία*), quae est eiusdem impositionis per manus dexterarum extensionem continuatio; neque tertia et ultima in fine Missae, cui iunguntur verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, etc.

297. Q. *Quaenam autem est eius forma?*

R. Sunt verba praefationis, quorum haec sunt essentialia: *Da, quaesumus, omnipotens Pater, in hunc famulum tuum presbyterii dignitatem; innova in visceribus eius spiritum sanctitatis, ut acceptum a te, Deus, secundi meriti mu-*

³² Conc. Trid., sess. XXIII, cap. IV.

*nus obtineat censuramque morum exemplo suae conversationis insinuet.*³³

298. Q. *Quomodo in huius ordinis collatione servatur unio materiae et formae?*

R. Servatur non per physicam simultaneitatem, sed per coniunctionem moralem, scilicet per totius ritus continuitatem et per ipsius formae verba, quae univoce materiam determinant.³⁴

299. Q. *Quid in praxi faciendum ad ordinationis defectus reparandos?*

R. Si defuerint ritus ad ordinationis essentiam pertinentes, tota ordinationis repetenda est, saltem sub conditione; si defuerint ritus inte-

³³ PIUS XII, Const. Ap. « Sacramentum ordinis », n. 5. Hucusque in ordinatione ad presbyterium practice considerabantur essentiales hi ritus: 1) prima utriusque manus Episcopi imposito (χειροθεσία) super caput ordinandi silentio facta et mox subsequens extensio manus (χειροτονία) cum prece: *Oremus, fratres carissimi* etc.; 2) traditio calicis cum vino et patenae cum hostia, et formula relativa: *Accipe potestatem* etc.; 3) contactus physicus calicis et patenae ex parte ordinandi. Praeterea ad valorem requirebatur: ut calix et patena ab Episcopo, sub verborum formula, traderentur; ut id fieret post duplicem manus impositionem et coniunctim cum ea; ut calix et patena physice ab ordinando tangerentur. Eiusmodi practicas praescriptiones valde simplificavit nova Ap. Constitutio, fecitque insuper finem variis theologorum disputationibus de ritibus essentialibus huius ordinis, quinam sint.

³⁴ Cfr. supra, n. 277, de diaconatu, quae magis adhuc valent de presbyteratu. Cfr. et PIUS XII, l. c., n. 4.

grales, suppleri debent; ritus vero accidentales supplere non est necesse.³⁵

300. Q. *Quaenam servanda sunt ex parte presbyteri in susceptione ordinis?*

R. Amictu, alba, cingulo, manipulo et stola transversa, more diaconorum vestitus, habensque mappulam albam ab extremitate sua ligatam cingulo ex dextera parte, vocatus ab Archidiacono se sistit coram Episcopo ab eoque audit admonitionem, qua sacerdotale munus et qualitates in sacerdotibus requisitae exponuntur. Tum se prosternit ad litanias (si subdiaconorum aut diaconorum ordinatio non praecesserit), post quas, ac etiam post primam et secundam manus impositionem, induitur ab Episcopo stola in formam crucis super pectus aptata, tum planeta,³⁶ quam antea evolutam tenet ac retro usque ad scapulas complicatam. Deinde ambae manus, quas simul iunctas et apertas tenet, intus inunguntur: ac mox easdem manus claudit, ut mappula alba, quam gestare diximus, ligentur. Post haec

³⁵ Impositio vestium supplenda non est. Item non est supplenda concelebratio, quamvis neoordinati sub gravi ad eam teneantur. Obedientiae promissionem supplere convenit.

³⁶ Haec est, iuxta Pontificale R., significatio vestium sacerdotalium: *Stola*, quae non transversa ut diaconis, sed in utroque humero ponitur, ostendit sacerdotum plenam potestatem dispensandi sacramenta; *planeta* vero (seu *paenula*), sic dicta quia eius limbi ex utraque parte in brachia sublevantur, seu *casula*, quasi parva casa quia totum hominem tegit (ut hodieque est apud Graecos), significat caritatem quae ad omnes, nullo excepto, porrigitur, ac suave obedientiae iugum.

ita accipit ab Episcopo calicem et patenam ut indicibus digitis patenam, mediis autem calicis cuppam tangat. Denuo post lotas manus et post oblationem candelae, in locum suum revertitur, Missale prae oculis habens, et una cum Episcopo omnia ab offertorio, etiam secreta verba profrens, ac consecrans. Tandem communicat, ac postea coram Episcopo recitat symbolum Apostolorum; quo expleto, suscipit tertiam manuum impositionem, post quam explicatur ab eodem Episcopo planeta, ac interrogatus de reverentia et obedientia sibi et successoribus praestanda, hanc expresse promittit; et habito ab Episcopo osculo pacis, benedictionem accipit ac trium Missarum celebrandarum ^{36 bis} onus.

301. Q. *Cur Ecclesia presbyterorum manus inungit?*

R. Quia his utuntur ad consecrandum Christi corpus, ad sacramenta ministranda, et populo benedicendum. ³⁷

302. Q. *Quid curare debet ordinatus sacerdos, dum una cum Episcopo hostiam et calicem consecrat?*

R. Neosacerdos curet ne ante Episcopum verba pronuntiet, quae *dici debent eodem momento, quo dicuntur per Pontificem.*

^{36 bis} Utique celebrandarum, sed sine applicatione intentionis et non nisi diebus a rubrica permissis, nulla tamen celebrationis certa dilatione praescripta.

³⁷ *Unctio* autem indicat Spiritus Sancti gratiam, quae consecratione ac sanctificatione confertur.

303. Q. *Quae sunt illae Missae, quas neomystis post ordinationem Episcopus celebrandas iniungit?*

R. Sunt: una de Spiritu Sancto, altera de B. Maria Virgine, tertia pro defunctis. ³⁸

304. Q. *Quibus virtutibus presbyteri fulgere tenentur?*

R. Omnibus fulgere oportet; siquidem perfecti et sancti esse debent, sicut Pater caelestis perfectus et sanctus est. Inter alias tamen emineat oportet ardens studium divinae gloriae et salutis animarum.

305. Q. *Praeter haec, quaenam aliae novo presbytero obligationes incumbunt?*

³⁸ Ex rubricarum Missalis R. praescripto (Add. et Var., VI, 3), in anniversario propriae ordinationis sacerdotalis, a die fixa mensis computando, cuilibet sacerdoti licet extra Missas defunctorum et post orationes a rubrica praescriptas, addere orationem « pro seipso sacerdote », quae vigesima est inter « Orationes ad diversa ».

INDULGENTIAE primae Missae celebrationi adnexae:

Sacerdotibus primum Sacrum facientibus conceditur *indulgentia plenaria*, si praeterea peccata sua sacramentali poenitentia rite expiaverint et ad mentem Summi Pontificis preces fuderint (*Enchirid. Indulgent.*, 1952, n. 742).

Fidelibus, qui primae Missae alicuius sacerdotis devote adstiterint, conceditur *indulgentia septem annorum*; *indulgentia plenaria*, si sint consanguinei eiusdem neosacerdotis ad tertium usque gradum inclusive et praeterea suorum peccatorum veniam obtinuerint, caelestem Panem sumpserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint. Iis vero, qui palmas neosacerdotum die tum ordinationis sacerdotalis tum primae Missae devote deosculati fuerint, conceditur *indulgentia centum dierum* (*Enchirid. Indulgent.*, 1952, n. 676, a et b).

R. Obligatione perpetua tenetur: praestandi Episcopo aut Praelato suo reverentiam et obedientiam quam promisit;³⁹ celebrandi Missam saltem diebus dominicis et festis solemnibus, ac etiam extra hos dies, quando necessitas, onus susceptum aut caritas id exigit.⁴⁰

306. Q. *Quinam sunt effectus sacerdotalis ordinationis?*

R. Gratiae sacerdotalis augmentum, impressio characteris ordinis et spiritualis potestas in Christi corpus reale et mysticum.

307. Q. *Edissere nunc mihi, quae et quot sunt presbyterorum officia seu functiones?*

R. 1° Sacrosanctum Missae sacrificium offerre, et populo Eucharistiae sacramentum administrare;

2° absolvere a peccatis;

3° solemniter baptizare, extremam unctionem praebere, nuptiis adstare eisque benedicere;

4° praedicare;

5° benedictiones rerum ac personarum peragere, quae Episcopo non sunt reservatae.

6° praesidere in conventibus.

§ 1 - DE POTESTATE PRAEDICANDI ET BAPTIZANDI

308. Q. *Quandonam Christus Dominus dedit sacerdotibus potestatem praedicandi?*

R. Quando, ante suum in coelum ascensum,

³⁹ Can. 127.

⁴⁰ Can. 306; 339; 466; 828.

sacerdotibus a se constitutis praecepit: *Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae, baptizantes eos etc.*; ⁴¹ *docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis etc.* ⁴²

309. Q. *Quaeso, num haec potestas aliquibus tantum collata est?*

R. Omnibus conceditur: Christus enim, uti diximus, omnes sacerdotes electos de mundo instituit ut euntes fructum afferant et eorum fructus maneat. ⁴³

310. Q. *Praedicandi munus omnes ne sacerdotes exercere tenentur?*

R. Per se sacerdotes tantum curae paroeciali praefecti, idque ratione muneris sacerdotalis; sed et ceteris, data occasione, est valde commendandum.

311. Q. *Possunt ne simplices sacerdotes ministerium praedicationis pro suo libito exercere?*

R. Non possunt sine missione canonica Summi Pontificis vel Episcoporum, quibus prioribus istud ministerium commissum fuit. ⁴⁴

312. Q. *Conceditur ne omnibus sacerdotibus concionandi facultas?*

⁴¹ Matt., XXVIII, 19.

⁴² Marc., XVI, 15.

⁴³ Io., XV, 16. Ex hac duplici potestate, aliquid in decus sacerdotum inferre placet. Cum enim per verbum Dei fideles spiritualiter gignantur et per baptismum nascantur, sacerdotes fiunt spirituales parentes fidelium, illos gignendo per verbum praedicationis, pariendo per baptismum ac natos perficiendo per assiduum instructionem, donec salutem consequantur aeternam.

⁴⁴ Can. 1328.

R. Conceditur iis tantum de quorum moribus ac sufficienti doctrina prius constet.⁴⁵

313. Q. *Quaenam praesertim exponenda sunt in sacris concionibus?*

R. Christianae religionis dogmata et praecepta,⁴⁶ idque praecipue ex divinae revelationis fontibus, iuxta Ecclesiae Patrumque doctrinam.

314. Q. *Quaenam dotes requiruntur in sacro concionatore?*

R. Requiritur bonitas in moribus, sanitas in doctrina, prudentia in dicendo.

315. Q. *Convenienter ne baptizandi munus dicitur sacerdotis proprium?*

R. Convenientissime, quia homines in numerum domesticorum Dei et Ecclesiae adsciscere iure ordinario eorum est, qui in Dei familia praesunt.

316. Q. *Cuiusnam baptismi est minister sacerdos?*

R. Quilibet sacerdos est minister ordinarius baptismi sollemnis.⁴⁷

⁴⁵ Can. 1340, § 1. Prohibetur quidem ordinatis in presbyteros qui quartum annum theologicum nondum expleverint (S. C. de Relig., 27 oct. 1923); sed haec prohibitio intelligenda est de praedicatione habituali aut frequenti et durante anno scholastico; non vero per modum actus, aut tempore vacationum autumnalium. Idem de confessionibus audiendis, aut de « exterioribus Religionis muniis ».

⁴⁶ Ea scilicet, quae fideles debent credere et facere ad salutem. Can. 1347, § 1.

⁴⁷ Can. 737, § 2; 738, § 1; « sed eius collatio reservatur parochi vel alii sacerdoti de eiusdem parochi vel Ordinarii licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur » (ibi).

317. Q. *Sacerdos est ne minister omnium sacramentorum?*

R. Simplex sacerdos est minister, ordinarius vel extraordinarius,⁴⁸ omnium sacramentorum, matrimonio excepto.⁴⁹

§ 2 - DE POTESTATE BENEDICENDI ET PRAESIDENDI

318. Q. *Undenam provenit Ecclesiae benedicendi et praesidendi potestas?*

R. Ab institutore Christo, qui eam frequenter exercuit et, quod ipse fecit, discipulis faciendum iniunxit.⁵⁰

319. Q. *Quid est benedictio?*

R. Benedictio, ut sacramentale, est caeremonia ecclesiastica qua, per invocationem divini nominis vel aliud signum sensibile, prout in suis ritualibus libris Ecclesia praescripsit, aliquod bonum confertur vel postulatur.⁵¹

⁴⁸ Est minister extraordinarius confirmationis (can. 782, § 2; S. C. Sacram., decr. « Spiritus Sancti munera » d. d. 14 septem. 1946) et quorundam ordinum (can. 951).

⁴⁹ Huius enim sacramenti ministri sunt ipsi contraentes (can. 1081); attamen necesse est ut sacerdos, qui sit parochus vel a parochi nominatim delegatus, eius celebrationi intersit ut vim et formam iuridicam habeat. Can. 1094.

⁵⁰ Quoad benedicendi potestatem, cfr. Matt., IX, 18; Marc., X, 16; Luc., IV, 20; Marc., XI, 18; quoad potestatem praesidendi, cfr. Matt., V, 2. XXVIII, 18; Luc., IV, 15; Marc., XI, 1; Io., VI, 5; XII, 15; Act., I, 4, etc. Cfr. etiam Io., XVII, 33 s.

⁵¹ Can. 1147; 1148. Iuxta Codicem I. C. et Rituale R. benedictiones dividuntur in *constitutivas* et *invocativas*,

320. Q. *Quomodo dividuntur benedictiones ratione ministri?*

R. Aliae ad Summum Pontificem pertinent,⁵² aliae ad Episcopos, aliae ad simplices sacerdotes.⁵³ Item, nonnullae sunt Episcopis reservatae, quae a sacerdotibus quoque impertiuntur, qui facultatem obtinuerint.⁵⁴

321. Q. *Potest ne Episcopus ad benedictiones sibi proprias vel reservatas simplicem sacerdotem delegare?*

R. Nequit pro benedictionibus quae sacram unctionem exigant, vel sacramentorum materiam tangant;

potest pro benedictionibus sacrae suppellectilis et pro iis quae templa peculiariter respiciunt, vel oratoria et coemeteria.⁵⁵

322. Q. *Reliquae benedictiones possunt ne fieri a quocumque sacerdote?*

R. Fieri possunt; pro illis tamen quae sunt de iure parochorum,⁵⁶ vel sunt propriae Ordini-

in reservatas et non reservatas. Benedictiones constitutivae quae unctione fiunt, proprie consecrationes vocantur (cfr. n. 173, nota).

⁵² Summus Pontifex, praeter benedictiones quas fidelibus manu impertit, aliquas proprias sibi constituit, scilicet Pallii, « Agnus Dei », Rosae aureae, Gladii Principis.

⁵³ Clerici sacerdotio inferiores, exceptis diaconis et lectoribus (cfr. nn. 190, 284, 285), et laici nequeunt conferre benedictiones liturgicas.

⁵⁴ F. STELLA, *Instit. Lit.*, I, p. 118, Romae, 1929.

⁵⁵ Episcopus praeterea delegat quas Rituale R. Episcopo reservatas habet. F. STELLA, l. c.

⁵⁶ Idest pro benedictione nuptiarum et benedictione domorum in Sabbato Sancto.

num religiosorum, necessaria est peculiaris facultas.

323. Q. *Quid importat potestas praesidendi?*

R. Importat ut sacerdos, ob spiritualem praeminentiam quam a Christo vel ab Ecclesia accepit, divinis officiis praesideat, absente Episcopo, ac populum sub ipso regat.⁵⁷

324. Q. *Qua ratione sacerdos praesidere debet?*

R. Ita praesideat, ut sacri ritus diligenter serventur, omnia modeste ac decore fiant, nec ulla lex ecclesiastica posthabeatur.⁵⁸

325. Q. *Quae relatio muneris praesidendi cum benedicendi munere?*

R. Praeesse et benedicere quasi semper una simul reperiuntur et facultas benedicendi ex praesidendi munere fluit.⁵⁹

§ 3 - DE POTESTATE REMITTENDI AUT RETINENDI PECCATA

326. Q. *Quandonam Iesus Christus potestatem dedit presbyteris remittendi aut retinendi peccata?*

R. Hanc eis potestatem contulit in persona Apostolorum, cum post resurrectionem super eos

⁵⁷ Est igitur, praeesse in conventibus, dignitas simul et officium.

⁵⁸ Proinde qui praest caritatem, humilitatem et mansuetudinem cum zelo animarum coniungat oportet.

⁵⁹ « Sine ulla contradictione, quod minus est a meliore benedicatur » (Hebr., VII, 7): quae verba de benedictionibus ex auctoritate et ex officio intelligenda sunt.

insufflans ait: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis* etc.⁶⁰

327. Q. *Quidnam secum fert ista potestas?*

R. Importat facultatem impertiendi absolutionem a peccatis iis omnibus ac solis qui sunt contriti et poenitentes, eamque e converso denegandi aut suspendendi iis qui non sunt recte dispositi.

328. Q. *Sufficit ne ad hoc potestas ordinis in sacra ordinatione collata?*

R. Requiritur insuper potestas iurisdictionis sive ordinaria, sive delegata,⁶¹ qua sacerdos possit ut iudex sententiam ferre in aliquos tamquam in subditos.

329. Q. *Undenam iurisdictionis necessitas?*

R. Ex eo, quod sacramentalis absolutio fertur per modum iudicii et sententiae: quod fieri nequit nisi in subditos; subditi autem assignantur per collationem iurisdictionis.⁶²

330. Q. *Iurdictio estne necessaria etiam in periculo mortis?*

R. In periculo mortis⁶³ quivis sacerdos, etsi ad confessiones non approbatus, quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis etiam Summo Pontifici reservatis et ab omnibus censuris, quamvis

⁶⁰ Io., XX, 22, 23.

⁶¹ Est *ordinaria*, si alicui competit ratione officii habentis connexam curam animarum; est *delegata*, si alicui datur super fideles quorum curam non habet.

⁶² Iurdictio tribuitur eo ipso quo presbyter ab Episcopo approbatur ad excipiendas confessiones.

⁶³ Adest *periculum* mortis, cum ex aliqua gravi causa prudenter mors secutura timetur; *articulus* vero, cum mors iam alicui imminet. Can. 882.

reservatis et notoriis, valide et licite absolvere potest, etiamsi adsit sacerdos approbatus.

331. Q. *Quo modo se gerere debet sacerdos ad confessionem morientis vocatus?*

R. Si aegrotus est compos sui et loqui potest, curet sacerdos ut fidei, spei, caritatis et contritionis actus eliciat, deinde ut integre, quoad speciem, numerum et circumstantias, omnia peccata lethalia confiteatur; si tempus, aut adiuncta id minime fieri sinant, ut saltem principaliora peccata confiteatur, eum monens ut, cum poterit, integram faciat confessionem.⁶⁴

332. Q. *Quid, si moribundi sint haeretici aut schismatici?*

R. Confessarius agat cum eis sicut cum fidelibus, curans insuper modis omnibus ut suos errores publice, si publici sint, abiurent et actus infidelitati oppositos eliciant.

333. Q. *Qualis poenitentia satisfactoria imponenda est aegrotis?*

R. Brevissima, prouti eius fert conditio.

334. Q. *Si moribundus sit compos sui quin valeat loqui, qua ratione se gerere debet sacerdos?*

R. In primis studeat nutibus et signis peccata cognoscere moribundi. Id si frustra, videat num aliqua det poenitentiae signa: quae si de-

⁶⁴ Interest maxime ut poenitens in primis exponat occasiones proximas, furta, odia, etc., cum proposito illico dimittendi occasionem, restituendi ablata, illegitimis filiis providendi, ignoscendi ex corde offensori, tum maxime si vulnus ab eo acceperit. Si haec praestare nollet, dimittendus esset inabsolutus.

derit, suadeat ei theologicarum virtutum actus elicere, intendens se de omnibus peccatis accusare; mox brevi aliqua prece iaculatoria imposita, eum in consueta forma absolvat. Si vero nullum det signum, ab adstantibus exquirat num certum aliquod votum confitendi emisit, et si ita esse comperit, iisdem ut supra peractis, absolvat, saltem sub conditione, iuxta consuetam formam.

335. Q. *At, si moribundus nonnisi dubium aut nullum dederit signum?*

R. Tum, si constet moribundum christiane vixisse, sacramenta frequentasse etc., aut saltem servavisse fidem, in consueta sub conditione forma eum absolvat⁶⁵ his verbis: *Si es capax, ego te absolvo* etc.⁶⁶

335 bis ABSOLUTIONIS FORMA COMMUNIS

(Rituale R., tit. IV, cap. II)

Cum Sacerdos poenitentem absolvere velit, iniuncta ei prius, et ab eo acceptata, salutari poenitentia, primo dicit:

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducatur te ad vitam aeternam. Amen.

Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit:

⁶⁵ Imo probabiliter eum absolvere potest qui in ipso actu peccati rationem amisit, omnes denique de quibus etiam tenui probabilitate iudicari possit absolutio profutura.

⁶⁶ In casu comatis moribundi dubie dispositi melius erit clausulam *si capax es* solum mentaliter proferre.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Iesus Christus te absolvat: et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, ✠ et Spiritus Sancti. Amen.

Si poenitens sit laicus, omittitur verbum suspensionis. Episcopus autem in absolvendis fidelibus ter signum crucis facit.

Passio Domini nostri Iesu Christi, merita beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.

Iusta de causa omitti potest Misereatur etc. et satis est dicere: Dominus noster Iesus Christus etc., ut supra, usque ad illud: Passio Domini nostri etc.

Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, Sacerdos breviter dicere poterit:

Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris, et Filii, ✠ et Spiritus Sancti. Amen.

§ 4 - DE POTESTATE ADMINISTRANDI EXTREMAM UNCTIONEM

336. Q. *Quandonam Christus Dominus potestatem administrandi extremam unctionem sacerdotibus fecit?*

R. In ipsa huius sacramenti institutione,

quam beatus Iacobus Apostolus his verbis promulgavit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini etc.*⁶⁷

337. Q. De quibusnam presbyteris loquitur Apostolus?

R. Non de senioribus aetate loquitur, sed de sacerdotibus ab Episcopo ordinatis, qui proinde extremae unctionis sunt ministri proprii.⁶⁸

338. Q. Quivis ne sacerdos hoc sacramentum ministrare potest?

R. Quivis sacerdos *valide* ministrare potest,⁶⁹ *licite* vero ille solus qui in infirmum habet ordinariam vel delegatam iurisdictionem; nisi tamen necessitas urgeat, vel legitima intercedat licentia, saltem rationabiliter praesumpta.⁷⁰

339. Q. Quibus fidelibus extrema unctio conferri potest?

R. *Valide* confertur fidelibus, post adeptum rationis usum⁷¹ ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versantur;⁷² *licite* non nisi iis qui

⁶⁷ Iac., V, 14, 15.

⁶⁸ Conc. Trid., sess. XIV, can. 4.

⁶⁹ Can. 938, § 1.

⁷⁰ Can. 938, § 2. Muneris enim pastoralis est peccatorum reliquias, extrema unctione delere, sicuti est ipsa peccata dimittere sacramento poenitentiae, cuius extrema unctio est complementum et perfectio.

⁷¹ Hinc non datur infantibus vel pueris usum rationis certo non adeptis, neque amentibus perpetuis a nativitate. Cfr. tamen can. 943.

⁷² Igitur non licet ministrare militibus praelium inituris, nisi simul gravi morbo laborent.

in statu gratiae sunt, vel, si in mortali versantes, sunt contriti vel cum attritione confessi, vel per accidens, si id fieri nequeat, saltem attriti.⁷³

340. Q. Urget ne praeceptum extremae unctionis?

R. Cum hoc sacramentum, quamvis non de necessitate medii, sit valde utile ad salutem, nemini fas est illud negligere, imo omni studio et diligentia curandum ut infirmi illud recipiant dum plene sui compotes sunt.⁷⁴

341. Q. Quenam sunt materia et forma huius sacramenti?

R. Materia ad validitatem sunt sacrae unctiones, adhibito oleo olivarum rite benedicto; forma sunt verba praescripta in ritualibus libris ab Ecclesia probatis.⁷⁵

342. Q. Quinam ritus a Rituali Romano praescriptus?

R. 1° Tres dicuntur orationes praeviae, quibus postulatur infirmi aeterna felicitas, serena laetitia, effugatio daemonum, Christi benedictio et protectio;

2° unctiones fiunt ad singulos sensus, cum invocatione: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum) deliquisti. Amen.*

⁷³ Illis vero denegandum est qui in manifesto peccato mortali impenitentes perseverant (can. 942).

⁷⁴ Can. 944.

⁷⁵ Rituale R., tit. VI, c. I, nn. 19, 20.

3^o tres finales dicuntur orationes, quibus plenus sacramenti effectus a Deo invocatur.⁷⁶

343. Q. *Quinam sunt huius sacramenti effectus?*

R. 1^o Augmentum gratiae sanctificantis;

2^o deletio reliquiarum, si quae existant, peccatorum;

3^o quandoque etiam restitutio corporeae sanitatis.

344. Q. *Hoc sacramentum potest ne iterari?*

R. In eadem infirmitate iterari nequit; potest vero cum infirmus convaluerit et inde in aliud vitae discrimen inciderit.⁷⁷

§ 5 - DE POTESTATE CONSECRANDI, OFFERENDI
ET MINISTRANDI EUCHARISTIAM

345. Q. *Quandonam Christus Dominus dedit sacerdotibus potestatem in Eucharistiam?*

R. In ultima coena cum, post distributum sui corporis et sanguinis sacramentum, discipulis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*:⁷⁸ quibus verbis Apostolos instituit sacerdotes, ordi-

⁷⁶ Rituale R., tit. VI, c. 2. Ordo a Rituali R. praescriptus integer servari debet; at in casu necessitatis, sufficit unica unctio in uno sensu, seu rectius in fronte, cum hac formula breviori: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen*; salva tamen obligatione supplendi singulas invocationes, cessante periculo. Rituale R., ibi, n. 20.

⁷⁷ Can. 940, § 2.

⁷⁸ Luc., XXII, 19.

nans ut ipsi et alii sacerdotes post eos eadem, quae fecerat ipse circa corpus et sanguinem suum, perficerent.⁷⁹

346. Q. *Quo in ritu Eucharistia consecratur, immolatur et sumitur?*

R. In ritu Missae, quam propterea soli sacerdotes celebrare possunt.

347. Q. *Quo praecise momento conficitur Eucharistia?*

R. In ritu consecrationis, per quam fit transubstantiatio panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

348. Q. *In cuius persona agit sacerdos dum celebrat Missam?*

R. In ritu consecrationis agit in persona Christi, ipsius verbis utens; in reliquis agit in persona propria, tamquam Christi et Ecclesiae minister.

349. Q. *In Missa corpus et sanguis Christi consecrantur ne tantum?*

R. Non solum consecrantur, sed et sacrificaliter offeruntur et sumuntur, et ita una eademque actione conficitur sacramentum et sacrificium.⁸⁰

⁷⁹ Conc. Trid., sess. XXII, can. 2.

⁸⁰ Consecratio enim bifariam spectari potest, scilicet vel prout panem et vinum convertit in substantiam corporis et sanguinis Christi, vel prout divinam Victimam in altari sistere facit eamque immolat. Hoc duplici unius actionis effectu conficitur sacramentum pariter et sacrificium eucharisticum.

350. Q. *In quo sacramentum differt a sacrificio?*

R. 1^o Sacramentum est res permanens, seu est corpus et sanguis Domini, quae perseverant donec species eucharisticae consumantur; sacrificium vero est aliquid transiens, utpote actio per quam victima immolatur, offertur et sumitur;⁸¹

2^o sacramentum integrum est sub utraque et sub alterutra specie; sacrificium autem postulat consecrationem tam panis quam vini;

3^o sacramentum potius ad nostram sanctificationem ordinatur; sacrificium vero per se primario ad Dei cultum.

351. Q. *Quis sacerdos et quando potest Eucharistiam ministrare?*

R. Quilibet sacerdos et intra quamlibet Missam,⁸² si privatim celebret, etiam proxime ante vel post,⁸³ vel extra Missam: ex licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae, si sit extraneus.⁸⁴

352. Q. *Tenentur ne sacerdotes Eucharistiam distribuere?*

R. Tenentur ex iustitia sacerdotes qui cu-

⁸¹ « Sacramentum in consecratione perficitur; omnis vero sacrificii vis in eo est, ut offeratur ». Catech. Rom., p. 11, c. IV.

⁸² Quoad autem eius fieri possit, communionem ministret ex particulis in eadem Missa consecratis. PIUS XII, Litt. Enc. « Mediator Dei », p. II, § III.

⁸³ Nisi loci Ordinarius, iustis de causis, id prohibuerit.

⁸⁴ Can. 846, § 1, 2.

ram animarum habent, omnibus fidelibus eam rationabiliter petentibus; ceteri ex caritate.

353. Q. *Quando distribui potest sacra communio?*

R. Quotidie, idque iis horis tantum quibus Missa celebrari potest: nisi tamen aliud rationabilis causa suadeat; in forma viatici, quocumque die et quacumque diei et noctis hora.⁸⁵ Pro distributione communionis feria V in Cena Domini, feriae VI in Passione et Morte Domini et Sabbato sancto, serventur normae statutae ab « Ordine Hebd, sanctae instaurato » (a. 1955): *Instructio*, III, 18, 19.

354. Q. *Quo loco sacra communio distribui potest?*

R. Ubicumque Missam celebrare licet; etiam in oratorio privato; nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit.⁸⁶

355. Q. *Quaenam vestes adhibendae in Eucharistia administranda?*

R. In Missa vel immediate antea et postea, sacerdos iisdem utatur vestibus quibus indutus sacrum peractus ad altare accessit;⁸⁷

extra Missam, sit indutus superpelliceo ac desuper stola coloris Officio illius diei convenientis,⁸⁸ vel coloris albi;⁸⁹

⁸⁵ Can. 867.

⁸⁶ Can. 869.

⁸⁷ Rituale R., tit. V, c. II.

⁸⁸ Rituale R., tit. V, c. II.

⁸⁹ S. R. C., decr. 2740.

si communio danda sit infirmis, color sit albus.⁹⁰

356. Q. *Differunt ne hodiernae Missae preces ac solemnitates ab iis quae olim usitabantur?*

R. Quamquam aliae liturgiae, pro varietate particularium Ecclesiarum, variae sunt, attamen quoad substantiam omnes concordant cum Romana, qua nos utimur.

357. Q. *Quomodo distinguitur Missa quoad externum apparatus?*

R. Distinguitur in Missam solemnem, cantatam et privatam.

358. Q. *Quaenam dicitur Missa solemnis, quae privata, quae cantata?*

R. 1^o Missam *solemnam* vel *publicam* nunc dicimus, quam sacerdos cum cantu et solemnibus caeremoniis persolvit, clero et ministris adstantibus ac suorum ordinum munia exercentibus.

2^o Missam *privatam* eam dicimus quam solus sacerdos sine cantu, uno dumtaxat ministrante, legit, sive plurimi fideles intersint sive nulli, sive unus sacerdos communicet sive alii cum eo Eucharistiam sumant.

3^o Quid medium inter solemnem et privatam est Missa *cantata*, quae scilicet habet cantum sacerdotis et chori, sed sine ministris sacris celebratur et etiam, nisi speciale adsit privilegium, sine incensatione oblatarum et altaris.

⁹⁰ Rituale R., tit. V, c. IV, n. 12.

359. Q. *Est ne probandus Missae privatae usus?*

R. Est procul dubio probandus atque adeo commendandus; siquidem illa quoque Missa vere communis censi debet: partim quod in ea populus spiritualiter communicet, partim vero quod a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus celebretur.⁹¹

⁹¹ Id, contra novatorum calumnias, Conc. Trid., sess. XXII, cap. VIII et can. 8, definivit.

PARS V
DE SACRIFICIO MISSAE

CAPUT I
DE NATURA ET PARTIBUS MISSAE

360. Q. *Quid est Missa?*

R. Missa est caeremonia sacra, in qua corpus et sanguis Christi consecratur, offertur et sumitur.¹

361. Q. *Quaenam sunt partes² Missae?*

R. 1^o *Praeparatio*³ ab initio ad offertorium decurrens: quae pars dicitur *Missa catechumenorum*;

2^o *oblatio*, ab offertorio ad praefationem;

3^o *consecratio*, a praefatione ad orationem dominicam;

4^o *communio*, ab oratione dominica ad finem: quae tres partes Missam proprie dictam, seu *Missam fidelium* constituunt.⁴

¹ Missae nomen ex eo ortum est quod in fine dicitur: *Ite Missa est*, cuius sensus est: *Abire iam licet, nam missa, seu dimissio est.*

² Ex his partibus *consecratio* de essentia est sacrificii, *communio* saltem ad eius integritatem pertinet.

³ Intellige publicam et generalem, quam Ecclesia ad disponendum sacerdotem ac populum et ad eorum purificationem et illuminationem statuit ac ordinavit.

⁴ Hae partes ulterius sic dividi possunt:

1^o *Praeparatio* alia est remota (preces quae ad pe-

362. Q. *Quis Missae caeremoniam instituit?*
R. Quoad consecrationem, sacrificii oblationem et communionem Christus ipse Missam instituit; Ecclesia vero quoad ceteros ritus qui eam praecedunt, comitantur et sequuntur.

363. Q. *Missa est ne sacrificium?*

R. De fide est in Missa offerri Deo verum et proprium sacrificium;⁵ et revera adsunt in ea omnia quae ad sacrificii essentiam pertinent.

364. Q. *Quid enim proprie est sacrificium?*

R. Sacrificium sensu proprio est oblatio rei sensibilis cum aliqua eius destructione vel immutatione, per legitimum ministrum soli Deo facta in supremum eius dominii recognitionem.

365. Q. *Quomodo in Missa adest oblatio rei sensibilis?*

R. Eo quod Christus per ministerium sacerdotis offert seipsum Deo sub panis et vini spe-

des altaris fiunt, cuius potissima est confessio), alia est proxima.

2^o *Oblatio* perficitur sive propositione et oblatione materiae sacrificii, sive Sancti Spiritus invocatione.

3^o *Consecratio* a praefatione ad doxologiam extenditur; canone, in quo includitur, exornatur, praeparatur et aliquando peracta absolvitur.

4^o *Communio* praeparatur remote a *Pater* usque ad pacem et proxime per tres preces sacerdotis; absolvitur per gratiarum actionem, quam sacerdos incipit in altari et perficit in sacrario.

⁵ Conc. Trid., sess. XXII, can. 1. Sacrificium late sumptum est omne bonum opus, sive internum sive externum, quod in Dei gloriam dirigitur.

ciebus, ad continuandum et repraesentandum sacrificium crucis.⁶

366. Q. *At, si oblatio fit tantum ad repraesentandum sacrificium crucis, ergo ne Missa est mera imago ac repraesentatio eiusdem sacrificii?*

R. Minime, sed est verum in se et proprium sacrificium, a crucis sacrificio sola offerendi ratione diversum.

367. Q. *Id autem unde fit?*

R. Ex eo quod vere et realiter Christus Dominus in altari, sicut in cruce, tamquam agnus et victima sistitur ac offertur.⁷

368. Q. *Qualis est in Missa mactatio victimae pertinens ad essentiam sacrificii?*

R. In Missa, non habetur realis et cruenta mactatio victimae, sed incruenta, cum Christus iam regnet immortalis in coelis.⁸

369. Q. *Quo momento fit mactatio divinae victimae in Missa?*

R. Adesse videtur in actu consecrationis,⁹ cum scilicet vi formulae consecrationis, quasi gla-

⁶ Conc. Trid., sess. XXII, cap. I.

⁷ Conc. Trid., sess. XXII, cap. II, et can. 3.

⁸ Cat. Rom., De sacram. Euchar., § 76.

⁹ Actio essentialis sacrificii est illa in qua fit mactatio victimae. Eam theologi quidam ponunt in sola communione, alii in consecratione et communione simul sumptis, alii vero — et haec sententia est hodie fere communis — in sola consecratione. In hac ultima sententia communio non est pars essentialis, sed integralis, spectans ad sacrificii complementum et perfectionem.

dio verborum, fit mystica separatio corporis a sanguine Christi.¹⁰

370. Q. *Cur sanguinem Christi in consecratione vocamus «mysterium fidei»?*

R. Quia eum sub vini specie latentem fide cernimus: quod autem occultum est, *mysterium* dicitur.

371. Q. *Quo igitur pacto sacrificium altaris est unum et idem cum sacrificio crucis?*

R. Quia una et eadem est hostia, unus et idem sacerdos,¹¹ unus et idem cui sacrificium offertur; non est diversus nisi offerendi modus.

372. Q. *Qua ratione Christi corpus et sanguis ex invisibilibus in Missa sensibilia fiunt?*

R. Corpus et sanguis Christi in Missa sensibilia fiunt per panis et vini consecratas species.

¹⁰ Quomodo in Missa fiat mactatio victimae, alii aliter explicant:

1^o Vel ex eo quod substantia panis et substantia vini desinunt in corpus et sanguinem Iesu Christi;

2^o Vel ex intima relatione, quam habet altaris sacrificium cum sacrificio crucis;

3^o Vel ex decliviori statu, tamquam cibi et potus, quo Christus habetur in Eucharistia;

4^o Vel ex voluntate Iesu Christi, qui tamquam victima vult fieri praesens in Sacramento.

Communior sententia est, victimam in consecratione mactari simul ac destrui: mactari, quatenus vi verborum ponitur corpus Christi seorsum a sanguine; destrui, quatenus Christus ponitur sub aliena specie tamquam mortuus.

¹¹ Utrum autem in Missa Christus offerat actualiter, an virtualiter tantum, disputant auctores; prior sententia videtur probabilior.

373. Q. *Quomodo vero servatur differentia inter Christum qui offert et Deum cui sacrificium offertur?*

R. Quia cum Christus, Deus et homo, etiam ut homo seipsum Deo offerat, ipse qua offerens in aliquo differt a Deo cui sacrificium offertur.

374. Q. *Si Christus etiam ut homo seipsum offert, quare alii constituti sunt sacerdotes?*

R. Quandoquidem sempiternum Christi sacerdotium et sacrificium invisibilia sunt, oportuit ut alii constituerentur sacerdotes qui, eius vicarii et ministri, iuge sacrificium in Ecclesia institutum offerrent.¹²

375. Q. *Ad quid haec nova sacrificia, si una Crucis oblatione facta est plena mundi redemptio?*

R. Ut per ea in nos redemptionis virtus derivaretur; in quantum scilicet peccatorum remissio, in ara Crucis quoad pretii solutionem facta, in altarium oblatione applicatur.

376. Q. *Sunt ne igitur in Ecclesia duo sacerdotes?*

R. Revera, duo sunt in Ecclesia sacerdotes seu ministri sacrificii altaris: sacerdos *primarius* et *principalis*, qui est Christus, et sacerdos *secundarius* ac *minus principalis*, qui est homo per sacram ordinationem factus particeps sacerdotii Christi.

377. Q. *Ecclesia et singuli fideles possunt ne aliquo sensu dici offerentes?*

¹² Cfr. Hebr., VII, 23, 24.

R. Sacerdotes tantum, proprie loquendo, sunt ministri oblationis; sed latiori sensu, quatenus nempe per manus sacerdotum reapse offerunt eiusdemque hostiae sumptioni communicant, etiam Ecclesia et fideles sacerdotio Christi fungi et sacrificium offerre dicuntur.¹³

CAPUT II

DE MISSAE VALORE ET FRUCTIBUS

378. Q. *Quid est sacrificii valor?*

R. *Valor* est dignitas et virtus moralis qua sacrificium natura sua pollet.

379. Q. *Quantus est valor Missae?*

R. Tantus, ut Missa *in se*¹ sit infinitae virtutis et plenissime sufficiens ad satisfaciendum Deo pro quibuslibet, et ad quaelibet a Deo impetranda.

380. Q. *Quid est fructus sacrificii?*

R. *Fructus*, seu *effectus* sacrificii est id quod eius virtutis intuitu *re* confertur.

381. Q. *Missae fructus est ne infinitus, perinde ac eius valor?*

R. Etsi Missae valor est in se infinitus, ta-

¹³ « Ecclesia non offert ut sacerdos per ministrum, sed ut populus per sacerdotem; itaque Christus per inferiorem offert, Ecclesia per superiorem » (S. ROBERTUS BELLARMINO).

¹ Scilicet ex parte victimae oblationis et principalis offerentis.

men eius fructus non extenditur in infinitum; pendet enim a voluntate tum Christi sic sacrificium crucis ad singulares finitas necessitates applicantis, tum Ecclesiae, quae Missam certis definitis effectibus obtinendis offerendam praecipit.

382. Q. *Quot sunt species seu partes fructus sacrificii?*

R. 1^o *Fructus generalis*, qui ad universam Ecclesiam extenditur, neque a sacerdote applicari potest, quia ad alium finem iam destinatus;

2^o *Fructus specialis*, qui iis tantum competit pro quibus Missa peculiariter offertur iuxta potestatem, a sacerdote acceptam, offerendi sacrificia;

3^o *Fructus specialissimus*, qui solius est sacerdotis utpote ministri publici, pro eoque cum sit applicatus, aliis applicari nequit.

383. Q. *Quid ergo requiritur ut sacerdos in applicando satisfaciatur muneri suo?*

R. Cum non certo constet quae quantaque sit portio fructus ex Missa derivandi, sufficit ut sacerdos, pro devotione atque obligatione sua, tantum applicare intelligat, quantum Deus iis applicandum statuit.²

² Ne sacerdos decipiatur in re tanti momenti, notandum cum Card. I. BONA (*De sacr. Missae*, c. I, 4):

1^o Requiritur intentionem saltem virtuales certam ac determinatam, hanc autem praecedere debere aut saltem comitari sacrificium.

2^o Sacerdote pro nemine fructum specialem applicante, vel iis pro quibus applicatur imparibus eidem fru-

384. Q. *Quinam de Missae fructibus participes esse queunt?*

R. Sunt ii pro quibus sacrificium offerri potest, scilicet:

1^o Vivi omnes, etiam infideles, excommunicati vitandi, etc.: pro quibus tamen non directe ut Ecclesiae membris, sed indirecte, ad eorum conversionem obtinendam, applicatur;³

2^o Animae in igne purgatorio detentae: non autem reprobis, neque beatis.

385. Q. *Qua ratione offertur Missa beatis, si eiusdem fructus non sunt participes?*

R. Ecclesia non proprie beatis, sed uni Deo Missam offerre intendit, de sanctorum victoriis gratias agens eorumque patrocinia implorans, ut « ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris ».⁴

386. Q. *Quinam sunt, quod ad nos, effectus sacrificii Missae?*

ctui percipiendo, vel non indigentibus, fructum hunc in Ecclesiae thesauro remanere.

3^o Oportere ut celebrans ante consecrationem iam sacrificium applicaverit, nam iuxta opinionem communiorum (cfr. supra n. 369) essentia sacrificii in consecratione consistit, ut si post hanc illud applicet, nihil efficiat, cum substantia desierit.

4^o Sacerdoti onus incumbere orandi pro persona cui fructum sacrificii applicavit.

5^o si pro pluribus sacrificium offerre debeat, esse nominatim exprimendos, haud confuse, ut sacrificium melius suos producat effectus.

³ Can. 2262, § 2, n. 2.

⁴ Conc. Trid., sess. XXIII, cap. III.

R. Missae effectus, quod ad nos, sunt *propitiatio, satisfactio et impetratio*.

387. Q. *Dic, sodes, qua ratione?*

R. *Propitiatio*, quia per Missam Deus placatur et nobis propitius fit;

satisfactio, quia per ipsam temporalis poenae debitum nobis relaxatur;

impetratio, quia eius intuitu nobis omnia spiritualia bona conferuntur, et etiam temporalia, dummodo ex divina ordinatione ad salutem conducant.

388. Q. *Quot sunt fines ad quos, ex divina institutione, Missae valor et fructus ultimo diriguntur?*

R. 1° Ut Patri caelesti tribuatur gloria;

2° ut Deo gratiae adhibeantur debitae;

3° ut expientur peccata, placetur Deus, eique reconcilietur homo;

4° ut cuncta a Deo impetrentur bona.⁵

389. Q. *Eucharistia producit ne effectus suos eodem modo quâ sacramentum et quâ sacrificium?*

R. Diverso quodam modo producit: quâ sacramentum consistit in re sumenda per modum cibi et potus, eiusque effectus est spiritualis animae refectio, qua gratiae sanctificantis confertur augmentum;

quâ sacrificium consistit in oblatione et

⁵ Cfr. Pius XII, Litterae Encicl. « Mediator Dei » d. d. 20 novem. 1947, 1. Aliis verbis Missae sacrificium dicitur *latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium*.

immolatione, eiusque effectus sunt bona spiritualia et temporalia iis qui offerunt, vel pro quibus offertur, eiusdem intuitu a Deo largita.

390. Q. *Quaenam est, prae Veteris Testamenti sacrificiis, excellentia Missae?*

R. Super cetera sacrificia Missa excellit, quatenus eorum virtutes in se una eminenter continens, velut omnium consummatio et perfectio, omnia bona ab illis significata complectitur.⁶

CAPUT III

DE MATERIA PRO SACRIFICIO ADHIBENDA

391. Q. *Quaenam est materia sacrificii eucharistici?*

R. Est de *fide* ex Conc. Flor. (decr. pro Armenis) panem et vinum esse materiam essentialem sacrificii eucharistici, et est *communis* theologorum *sententia* species, ut consecratas, esse materiam proximam.

392. Q. *Qualis ne debet esse panis pro sacrificio?*

R. Panis¹ ad *validam* consecrationem debet esse usualis, ex farina tritici et aqua naturali confectus; ad *licitam* debet insuper esse recenter confectus, ut nullum sit periculum corruptionis; praeterea, apud latinos azymus, seu non fermentatus.

⁶ Conc. Trid. sess. XXII, cap. I. « Deus, qui legalium differentiam hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti » (Missale R., secreta Domin. VII post Pen. ecosten).

¹ Can. 815, § 1; 816.

393. Q. *Si quid alterius farinae aut liquoris pani usuali admixtum fuerit, est ne valida consecratio?*

R. Si quantitas admixta adeo parva fuerit, ut panis adhuc triticeus et ex aqua naturali confectus dici possit, valida est consecratio; invalida vero, aut saltem dubia, si tali quantitate, ut panis nequeat amplius vocari usualis.²

394. Q. *Quid, si panis est mucidus aut ad corruptionem dispositus?*

R. Tunc valide, sed illicite et cum gravi peccato consecratur; si vero omnino corruptus, consecratio est invalida.

395. Q. *Licet ne sacerdoti latino consecrare in fermentato pane?*

R. Nunquam licet,³ nisi in sacrificii perficiendi necessitate.

396. Q. *Quale vinum est idoneum ad consecrationem?*

R. Ad validam consecrationem, vinum debet esse naturale de genimine vitis;

ad licitam, debet insuper esse perfectum et sanum.⁴

² Non sunt materia idonea, utpote dubia: 1^o massa triticea cruda aut non cocta ad modum panis, sed frixa vel elixa; 2^o panis ex granis naturam tritici non habentibus confectus, ut ordeum, avena, oryza et fortasse siligo; 3^o omnis panis triticeus lacte, butyro, ovo etc., vel aqua rosacea aut alterius distillationis dilutus.

³ Cfr. can. 816.

⁴ Can. 815, § 2. Exinde infertur: 1^o vinum, vel potius succum ex pomis aut uvis immaturis expressum, item acetum et vappam (vinum cuius virtus evanuit) consecrari non posse; 2^o mustum esse materiam sufficientem, sed graviter illicitam.

397. Q. *Quid de vino acescente dicendum est?*

R. Si vinum acescere incipit, valide sed illicite nec sine culpa consecratur; si aceti naturae proximum est, etiam invalide.

398. Q. *Quid si vino aqua admixta fuerit?*

R. Si admixta fuerit in modica quantitate, quae vini speciem non tollat, materia est apta ad consecrationem: si secus, dubia aut inepta.

399. Q. *Quae panis et vini quantitas consecrari debet?*

R. Quaelibet, etiam magna, panis et vini quantitas valide consecratur;

licite vero una grandior hostia pro sacerdote, ac tot minores quot ad populi communionem sufficiant: vini autem ea quantitas, quae duplici aut triplici haustu sumi possit.

400. Q. *Quaenam insuper requisita ad validam materiae consecrationem?*

R. 1^o Ut materia consecranda sit propinqua et aliquo sensu percipi possit in se, vel in cumulo, vel in suo continente;

2^o ut consecrans sua intentione materiam consecrandam vel in individuo vel modo generali determinet.⁵

401. Q. *Qualis convenit esse intentio consecrantis?*

R. Consulitur intentio generalis consecrandi

⁵ Ex gr., dicendo: Intendo consecrare omne quod est mihi praesens, omne quod praestitum est consecrandum.

⁹ Specimen examinis

totam materiam quae est moraliter praesens ac decenter consecrari potest.

402. Q. *Quaenam materia decenter consecrari dicitur?*

R. Ea materia quae est super corporale; non vero fragmenta separata et vini guttulae adhaerentes exteriori parti calicis.⁶

403. Q. *Si sacerdos non unam, ut putat, sed duas hostias sibi cohaerentes manibus teneat, ambas ne consecrat?*

R. Si ignorans teneat, ambo consecrat, modo eius intentio sit generalis, iuxta rubricas; consecrat eam tantum quam videt, si eius intentio ad eam coarctetur.

CAPUT IV

DE FORMA PRO SACRIFICIO CONFICIENDO

404. Q. *Quaenam est forma in consecratione panis et vini adhibenda?*

R. Forma panis sunt verba: *Hoc est enim corpus meum;*

forma vini sunt verba: *Hic est enim calix sanguinis mei, Novi et aeterni Testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

405. Q. *Verba consecrationis ita ne ad es-*

⁶ In actu consecrationis ciborium continens particulas patens sit oportet.

sentiam pertinent, ut in praxi omnia sint dicenda?

R. 1^o De essentia consecrationis sunt verba: *Hoc est corpus meum; Hic est calix sanguinis mei.*

2^o Omnium doctrina est particulam enim non esse de essentia.

3^o Ambigitur num verba *Novi et aeterni Testamenti* etc. sint essentialia.

4^o In praxi, ad liceitatem sacramenti omnia sub gravi dicenda sunt; sicut etiam dicenda sunt priora verba; *Qui pridie* etc. et posteriora: *Haec quotiescumque* etc.

406. Q. *Quinam est sensus verborum consecrationis?*

R. Sensus obvius est: *Hoc edulium est corpus meum; potus qui hoc calice continetur est sanguis meus.*

407. Q. *Qua ratione proferenda sunt verba consecrationis?*

R. Proferenda sunt *historice* simul et *assertive*, cum intentione exprimendi quod significant.

408. Q. *Quid significat vocabulum est?*

R. Significat conversionem panis in corpus, et vini in sanguinem Christi: quam conversionem Ecclesia aptissime *transubstantiationem* appellat.¹

¹ Ideo, mutationes quae transubstantiationis veritatem et significationem adimunt, consecrationem irritam faciunt, quae vero non tollunt, illicitam reddunt.

409. Q. *Quandonam fit conversio, seu transubstantiatio?*

R. Eo momento quo completur sensus verborum, seu conversionis significatio verbalis.

410. Q. *Quare vocem transubstantiatio aptissimam vocasti?*

R. Quia optime exprimit totam panis substantiam converti in substantiam corporis Christi, totamque vini in substantiam sanguinis Christi.

411. Q. *Nihil ne de materia Eucharistiae remanet post consecrationem?*

R. De substantia panis et vini nihil remanet, sed remanent species, et sub earum qualibet parte, modo sit sensibilis, sive ante sive post separationem, totus continetur Christus.

412. Q. *Quid sunt species eucharisticae?*

R. *Species*, seu *accidentia*, seu, minus recte, *apparentiae eucharisticae*, sunt elementum externum panis et vini,² quod post conversionem substantiae adhuc remanet, et quidem, ut certum videtur, in sua obiectiva realitate.

413. Q. *Quid faciendum si celebrans non recordetur se verba consecrationis dixisse?*

R. Si omnia vel aliqua verba se dixisse praecise non meminerit, non debet propterea turbari nec repetere. Si vero valde probabiliter dubitet se aliquid essenziale omisisse, formam iteret, saltem sub tacita conditione.

² *Quantitas* nempe *dimensiva* cum *qualitatibus* *sensibilibus*, ut *sapor*, *odor*, etc.

414. Q. *Quid vero si omiserit aliquid de verbis formulae?*

R. Si certo constiterit omisisse aliquid de verbis essentialibus, formam resumat, cetera omnia secundum ordinem iterando; si vero omissa non pertinent ad essentiam, ulterius procedat.

CAPUT V

DE MISSAE RITIBUS

415. Q. *Quid est ritus?*

R. Ritus in genere est modus quo sacrae caeremoniae fiunt; hic vero sumitur pro modo quo caeremonia Missae perficienda est ad eius valorem et liceitatem servandam.

416. Q. *Cuiusnam iuris sunt ritus in Missa servandi?*

R. Alii sunt iuris divini, alii iuris ecclesiastici, prout Christum Dominum aut Ecclesiam habent auctorem.

417. Q. *In quo invicem differunt?*

R. In hoc, quod primi requiruntur ad validitatem, alii ad liceitatem.

418. Q. *Quinam sunt ritus iuris divini?*

R. 1^o *Utriusque materiae sacramentalis consecratio*;

2^o *utriusque speciei eucharisticae sumptio*;

3^o *sacrificii actio continua*.

419. Q. *Quinam sunt ritus iuris ecclesiastici?*

R. 1^o *Oblatio* panis et vini, cui sit modicissima quantitas aquae naturalis admixta;

2^o *fractio* hostiae consecratae eiusque particulae *commixtio* cum sanguine;

3^o *preces* in ordine Missarum praescriptae;

4^o *omnia* quae spectant ad supellectilem, caeremonias atque celebrationis tempus et locum.

§ I - DE RITIBUS IURIS DIVINI

420. Q. *Quare unius tantum materiae consecratio, altera omissa, prohibetur?*

R. Quia utriusque consecratio ad perfectionem sacrificii et sacramenti integritatem necessaria est.

421. Q. *Quid dicendum de unius tantum materiae consecratione?*

R. Gravissime illicita est, sicut etiam est illicita unius, vel utriusque materiae consecratio extra Missam.¹

422. Q. *Quid faciendum si contigerit panem esse materiam ineptam aut dubiam?*

R. 1^o Si id sacerdos animadverterit *ante offertorium*, novam hostiam offerat;

2^o si *post offertorium*, similiter faciat, novam hostiam saltem mente offerens, et prosequatur a loco ubi desivit;

3^o si *post consecrationem* et ante calicis sumptionem, novam hostiam saltem mente offerat et, incipiens a verbis *Qui pridie*, eam absolute vel sub conditione consecret, prout materiam certe aut dubie ineptam repererit.

¹ Can. 817.

423. Q. *Quid si idem accidat in vino?*

R. Celebrans eodem prorsus modo se gerat, consecrationem inchoans a verbis *Simili modo*.

424. Q. *Quid faciet sacerdos, si utramque materiam ineptam aut dubiam post consecrationem deprehenderit?*

R. Si adverterit ante sumptionem, consecret novam hostiam et novum vinum, cetera per ordinem prosequens a loco ubi desivit.

425. Q. *At si nova materia non possit haberi nisi interiecta mora, aliquamdiu ne expectari poterit?*

R. Imo oportebit; verum:

1^o si adhibita diligentia, nequeat reperiri nova apta materia et utraque inepta sit, sacerdos Missam omittat, sive ante sive post consecrationem defectum detexerit;

2^o si alterutra solummodo sit inepta et nondum facta sit consecratio, Missam omittat;

3^o si autem alteram materiam certe vel dubie aptam iam consecraverit, prosequatur, omitte verba quae ad materiam deficientem spectant.

426. Q. *Quare sumenda est utraque species consecrata?*

R. Quia id praecepit Dominus, idque postulat sive sacrificii essentia sive perfectio.

427. Q. *Quare dixisti sive essentia sive perfectio?*

R. *Essentiam* dixi, iuxta eorum sententiam qui ad essentiam sacrificii contendunt pertinere

sumptionem; ² *perfectionem* dixi, in eorum communiori magisque probabili opinione, iuxta quam sacrificii essentia in una consecratione reposita est, communio vero ad solam perfectionem et integritatem pertinet.

428. Q. *Quid si post sumptionem sacerdos detexerit alterutram materiam esse corruptam aut dubiam?*

R. 1^o Si celebrans post sumptionem *hostiae* detexerit eam esse certe aut dubie ineptam, aliam absolute aut sub conditione consecret, statimque sumat: si detexerit post sumptionem calicis, cum nova *hostia* novum consecrabit vinum;

2^o Si vero *vinum* detexerit ineptum post sumptionem *hostiae*, tunc novam *hostiam* et novum *vinum* consecrabit. ³

429. Q. *Quid faciendum de oblata materia inepta aut dubia?*

R. Post corporis et sanguinis Christi sumptionem celebrans ipse sumet, aut alii sumendam tradet, vel alicubi religiose conservabit.

430. Q. *Quid si celebrans post utriusque materiae sumptionem utramque ineptam advertit?*

R. Si utraque materia inepta est, sacerdos post vel unius sumptionem non potest alteram consecrare, quia amplius non est ieiunus nec adest necessitas perficiendi sacrificium; sed Mis-

² Cfr. supra, n. 369.

³ Ad praecavenda autem scandala quae timeantur si plures sacrificio intersint, sacerdos poterit *hostiae* consecrationem omittere.

sam omittet, vel, ad praecavenda scandala, absolvet, quin tamen recitet orationes proprias Missae.

431. Q. *Quo tandem pertinent ea quae diximus de materia, forma et ministro sacrificii Missae?*

R. Ut ne desit aliquid ex requisitis ad Eucharistiam conficiendam; nam, ut ait rubrica, « quidquid horum deficit, non conficitur sacramentum, nec sacrificium; his autem existentibus, quibuscumque aliis deficientibus, sacramenti et sacrificii veritas adest ». ⁴

432. Q. *Quid faciet sacerdos de fragmentis quae post purificationem super corporali aut patena forte repererit?*

R. Fragmenta ipse sumat, etiam in sacrario absoluta Missa, modo sacris vestibus sit adhuc indutus; secus reponat; sed si decenter servari nequeant, absolute sumat.

433. Q. *Undenam fieri potest ut aliquando Missa abrumpi debeat?*

R. 1^o Ob loci sacri *reverentiam*, cum ex culpabili homicidio vel iniuriosa humani sanguinis effusione violatur etc.;

2^o ob fidelium urgentem *necessitatem*, scilicet ministrandi poenitentiam, extremam unctionem, viaticum alicui repentino morbo correpto;

3^o ob celebrantis *indispositionem*, cum se lethali culpa reum, aut censura innodatum, aut non ieiunum deprehenderit.

⁴ De defect. in cel. Miss., n. 1.

434. Q. *Quid faciet sacerdos si, dum celebrat, ecclesia violetur?*

R. Si fiat ante inceptum canonem, statim ab altari discedat; si postea, prosequatur usque ad sumptionem utriusque speciei, cetera in sacrario perficiat.⁵

435. Q. *Si quem repentino morbo corripere contingat, potest ne celebrans Missam abrumperere?*

R. Potest quocumque momento, ante vel post consecrationem, si agitur de administranda poenitentia; solum ante consecrationem, si de viatico vel extrema unctione: nisi infirmus sit in ecclesia.

436. Q. *Quid, si celebrans recordetur se esse lethalis culpa reum vel censura irretitum?*

R. Si recordetur ante consecrationem nec ullum vereatur scandalum, a sacro faciendo cessabit; si timeat scandalum, aut recordetur post consecrationem, sacrum perficiet contritus corde et cum proposito confitendi quamprimum.

437. Q. *Si sacerdos dum celebrat graviter infirmetur, aut apoplexi ictus decedat, quid agendum?*

R. 1° Si id ante consecrationem fiat, Missa dimittatur; si postea, alius vocetur sacerdos — etiam non ieiunus, si necessarium — qui expleat Missam, incipiens a loco ubi primus desivit, vel ab *Unde et memores*, si sciri nequeat ubi desiverit;

⁵ Idem faciendum si ecclesiam introierit excommunicatus vitandus, qui admonitus recedere nolit.

2° si in ipsa consecratione contigerit, forma repetenda est sub conditione; si vero constet in consecratione hostiae verba tantum semipro-lata fuisse, Missa est omittenda.

3° si autem celebrans morbo correptus valeat post interiectam moram, consultius ipse, quamvis non ieiunus, sacrum perficiet.

§ 2 - DE RITIBUS IURIS ECCLESIASTICI

438. Q. *Quid dicendum de aquae infusione in calicem?*

R. Aquae infusio fieri debet sub gravi,⁶ eo quod Iesus Christus ita fecisse credatur, et nonnulla mysteria hoc ritu significantur.

439. Q. *Quaenam mysteria per aquae infusionem significantur?*

R. 1° Aqua et sanguis quae ex latere Christi in cruce fluxerunt;

2° unio humanitatis et divinitatis in Christo;

3° unio fidelium cum Christo eiusque divinitatis consortium.⁷

440. Q. *Quid si sacerdos meminerit se aquam vino non infudisse?*

R. Si meminerit ante consecrationem, infundat; nullo pacto, si post consecrationem.

441. Q. *Licet ne hostiae particulas incepto canone oblatas, mente offerre ac postea consecrare?*

⁶ Et in modicissima quantitate. Can. 814.

⁷ Ex Conc. Trid., sess. XXII, cap. VII, et Liturgia Missae. Cfr. Summ. Theol., P. III, Q. 74, a. 6.

R. Si adsit iusta causa, licet; ⁸ alioquin consultius erit a consecratione abstinere.

442. Q. *Quid faciet sacerdos si in fractione hostia dilapsa fuerit in calicem?*

R. Si tota hostia dilapsa sit, Missam prosequatur, omissis signis super eam, et in sumptione sanguinis dicat: *Corpus et sanguis... custodiant etc.*; si dimidia pars hostiae tantum defacta fuerit, nihil immutandum.

443. Q. *Quid si, sumpto sanguine, particula hostiae remanserit in calice?*

R. Si particula interno calicis parieti adhaeserit, digito adducenda est ad labium calicis et sic sumenda; vel est sumenda cum vino ad hoc infuso.

444. Q. *Si vero sanguis in terram aut super linteamina dilapsus fuerit?*

R. Si pars sanguinis remanserit ad potum sufficiens, sumatur, quin fiat nova consecratio; si nihil, aut aliqua stilla tantum, aliud consecratur vinum, incipiendo a *Simili modo*.

445. Q. *Licet ne in Missa preces demere vel addere, aut caeremonias a rubricis praescriptas immutare?*

R. Prorsus illicitum est addere vel demere quidquam de precibus, variare ordinem, caeremonias, signa et cetera huiusmodi; sed quavis consuetudine reprobata, celebrans ea servare tenetur iuxta rubricas suorum ritualium librorum. ⁹

⁸ Ex. gr., viatici administrandi causa, etc.

⁹ Can. 818.

446. Q. *Quale peccatum est eiusmodi additio vel omissio, aut immutatio?*

R. Si fiat circa preces et caeremonias quae sunt intra Missam, peccatum grave aut leve est, prout pars sit notabilis vel non, quia de rubricis praeceptivis agitur; si circa ea quae sunt extra, scilicet ante vel post Missam, non est peccatum, quia agitur de rubricis directivis tantum. ¹⁰

447. Q. *Sacerdos, statim ut adverterit, debet ne supplere quod omisit vel mutavit?*

R. Nisi error circa essentialia versetur, non est supplendum, ne Missae ordinem vitiando novus error admittatur.

448. Q. *Quo loco celebranda est Missa?*

R. Celebranda est super altari consecrato, in oratoriis publicis aut semipublicis ab Episcopo consecratis vel benedictis, modo non sint interdicta. ¹¹

449. Q. *Licet ne Missam celebrare in oratoriis domesticis, seu privatis?*

R. Licet quidem, ¹² vel ex permissione Ordinarii loci, per modum actus concessa ad normam can. 1194, vel ex indulto apostolico et dummodo aliquis ex principalibus indultariis actu Missae intersit.

¹⁰ Saltem ex quorundam sententia, aliis tamen aliter opinantibus.

¹¹ Can. 822, § 1; 1193.

¹² Prohibetur tamen, secluso speciali privilegio, in festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, Pentecostes, Assumptionis et Conceptionis B. Mariae V., S. Ioseph (19 martii), Ss. Petri et Pauli (29 iunii), Omnium Sanctorum, Patroni principis loci, et, ut dictum est, ultimo Triduo Hebdomadae sanctae.

450. Q. *Ubi Missa celebratur potestne administrari communio?*

R. Utique administrari potest¹³ nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit.

451. Q. *Licet ne communicare in fragmento hostiae magnae sacrificii?*

R. Illicitum est, quamvis sub levi: nisi agatur de infirmo, aut alio qui sine gravi incommodo exspectare nequeat.

452. Q. *Quibus diebus Missa celebrari potest?*

R. Missa quotidie celebrari potest, excepto ultimo triduo Hebdomadae sanctae.¹⁴

453. Q. *Qua hora sacrum faciendum est?*

R. Missae celebrandae initium non fiat citius quam una hora ante auroram, vel serius quam una hora post meridiem,¹⁵ nisi ob iustam causam vel legitimam concessionem.

454. Q. *Quae Missa legenda est celebranti in aliena ecclesia?*

R. Quivis sacerdos, tam saecularis quam regularis, celebrans in aliena ecclesia vel oratorio publico aut semipublico, calendario loci omnino se conformare debet; calendario proprio uti potest si celebrat in oratorio privato.¹⁶

¹³ Can. 869.

¹⁴ Can. 820.

¹⁵ Can. 821. Habetur gravis horae immutatio si celebratio incipiat hora integra ante vel post praefixum tempus. Circa Missas vespertinas cfr. Constit. Ap. « Christus Dominus », in *Acta Ap. Sedis*, 1953, pp. 22-24; 49-51.

¹⁶ Ceterum Missae qualitatem mutare, secluso scandalo vel contemptu, veniale non excedit, nisi forte frequentius fiat.

455. Q. *Cuiusnam coloris debent esse paramenta sacra?*

R. Paramenta debent esse coloris Missae convenientis, ubicumque Missa celebretur.¹⁷

456. Q. *Missa potest ne celebrari sine ministro?*

R. Nisi agatur de casu necessitatis,¹⁸ Missa nequit celebrari sine ministro, qui sacerdoti inserviat eique respondeat.¹⁹

457. Q. *Sunt ne benedicenda vasa, vestes, linteamina et cetera in sacrificio adhiberi solita?*

R. 1^o Altare, calix et patena debent esse consecrata;

2^o corporale, palla, vestes sacrae²⁰ et ipsa quoque altaris mappa triplex debent esse benedicta;²¹

3^o reliqua²² non indigent benedictione.

¹⁷ Can. 811, § 1.

¹⁸ V. gr., servandi praeceptum de Missa audienda, conficiendi viaticum pro infirmo etc.

¹⁹ Can. 813, § 1. Huiusmodi minister non sit mulier, nisi deficiente viro, iusta de causa, eaque lege ut ex longinquo respondeat, nec ullo pacto ad altare accedat. Can. 813, § 2; Pius XII: Litt. encycl. « Mediator Dei », in *Acta Ap. Sedis*, 1947, p. 557; S. Congr. de discipl. sacram., 1 oct. 1949.

²⁰ Id est amictus, alba, manipulus, stola, casula et probabilius cingulum.

²¹ Benedicenda sunt etiam pyxis, seu vas pro fidelium communionem, ostensorium, lunula et theca pro hostia magna expositionis SS. Sacramenti.

²² Haec sunt: purificatorium, velum calicis, bursa corporalium, missale, imago Crucifixi, candela duplex et ampullae cum manutergio.

458. Q. *Igitur, peccaret ne celebrans sine iis vel cum iis non consecratis aut benedictis?*

R. Peccaret utique, graviter aut leviter pro gravitate omissionis, nisi urgeat necessitas.

CAPUT VI

DE DISPOSITIONIBUS CELEBRANTIS MISSAM

459. Q. *Quaenam esse debent dispositiones sacerdotis celebrantis?*

R. 1° *In voluntate*, intentio sacrificii conficiendi et applicandi.

2° *in animo*, praeter statum gratiae et immunitatem a censuris ac impedimentis, fides viva, spes firma, caritas ardens et pietatis sensus;

3° *in corpore*, naturale ieiunium inde a media nocte, mundities, decencia ac modestia in vestibus et liturgica habitudo etiam physica.¹

460. Q. *Qualis debet esse celebrantis intentio?*

R. 1° *Pro consecratione* optima est intentio actualis, sed sufficit virtualis;

2° *pro applicatione* sufficit intentio habitualis,² quae saltem implicite debet esse determinata ad unam vel plures personas, ad unum vel plures fines.

¹ « Qui passionis dominicae mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis hostia erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus » (S. GREGORIUS M., *Dial.*, IV, 59).

² Attamen melius est exprimere intentionem ante Missam, ex. gr. adhibendo orationem *Ego volo celebrare Missam*, vel saltem ante consecrationem.

461. Q. *Pro quibusnam Missa applicari potest?*

R. Directe pro fidelibus vivis atque pro defunctis in Purgatorio existentibus; indirecte etiam pro infidelibus aliisque ab Ecclesiae gremio exclusis.³

462. Q. *Quale peccatum committit celebrans inquinatus lethali?*

R. Committit gravissimum sacrilegium.

463. Q. *Quid, si celebrans gravi culpa infectus confessarii copiam non habeat?*

R. Si vera et praecisa necessitas non urget, abstineat a celebratione; si vero adest necessitas, meliore quo potest modo eliciat actum contritionis cum proposito confitendi quam primum, seu infra triduum.⁴

464. Q. *Quandonam celebrans non tenetur ad ieiunium?*

R. Quando secus esset aliis scandalo, aut seipsum exponeret infamiae; item in necessitate perficiendi sacrificium.

465. Q. *Quaenam vestis est adhibenda in celebratione?*

R. Praeter vestes sacras, adhibenda est vestis talaris.⁵

466. Q. *Qua voce utendum est in Missa?*

R. In Missa omnia distincta et intelligibili voce legenda sunt, sive quae, iuxta rubricas, alta,

³ Can. 809; 2262, § 2, n. 2.

⁴ Can. 807.

⁵ Can. 811, § 1; Rit. serv. in cel. Miss., I, 2.

sive quae *mediocri*,⁶ sive quae submissa voce legenda sunt.

467. Q. *Quantum temporis insumendum est in celebratione Missae?*

R. Tantum temporis insumendus est, ut Missa ordinaria nec triente sit brevior, nec longior hora dimidia.

468. Q. *Quibus mediis foveri potest pietas et habitudo liturgica celebrantis?*

R. Tum praeparatione ante et gratiarum actione post Missam, tum etiam caeremoniarum scientia et observantia.⁷

CAPUT VII

DE STIPENDIO MISSARUM

469. Q. *Quid habes de stipendio Missarum, eiusque causa dicendum?*

R. Iuxta receptum et probatum Ecclesiae morem et institutum,¹ sacerdos potest recipere stipem: non quidem ut causam principalem Mis-

⁶ Non omnes auctores vocem *mediocrem* ab *alta* voce distinctam admittunt.

⁷ Ad hoc necesse est ut clerici et sacerdotes impense ac indesinenter excolant studium sacrae liturgiae sub omni eius adspectu, sive iuridico-practico, sive archaeologico-historico, sive theologico-ascetico.

INDULGENTIAE. In Missali Romano exstant preces pietati sacerdotum propositae ante et post Missam, quas sancta Mater Ecclesia plurimis indulgentiis ditavit. Cfr. *Enchirid. Indulgent.*, 1952: pro precibus ante Missam (nn. 747, 748, 749); item pro precibus post Missam (nn. 750, 751, 752).

¹ Can. 824, § 1.

sae celebrandae et quasi pretium rei sacrae, quod simoniam saperet, sed solum in suam sustentationem et ad compensationem laboris in alterius gratiam impensi.²

470. Q. *Quot stipendia Missarum distinguuntur?*

R. 1^o *Manualia*, quae a fidelibus pro Missis offeruntur; sive ex propria devotione, sive ex obligatione etiam perpetua a testatore suis heredibus facta;

2^o *ad instar manualium*, nempe stipendium Missarum fundatarum, quae cum in proprio loco aut ab iis quibus est obligatio applicari nequeant, de iure vel ex indulto aliis celebrandae traduntur;

3^o *fundata*, seu Missae fundatae, quae ex redditibus foundationis percipiuntur.³

471. Q. *Qua auctoritate et qua obligatione stipendiorum taxa definitur?*

R. Decreto Ordinarii loci vel consuetudine dioecesana, et omnes, etiam Religiosi exempti, ad eam tenentur.⁴

472. Q. *Est ne licitum recipere stipendium maius vel minus pretio legitime statuto?*

R. Illicitum est et contra iustitiam exigere stipendium maius, nisi sit pro labore extrinseco; licitum vero accipere minus, nisi Ordinarius id prohibuerit.⁵

473. Q. *Est ne gravis obligatio dicendi Missam pro oblatore eleemosynae?*

² Cfr. I Cor., IX, 13.

³ Can. 826.

⁴ Can. 831.

⁵ Can. 832.

R. Obligatio orta ex accepta stipe gravis est ex iustitia et semel contracta non solvitur praescriptione,⁶ neque si stips sit minor pretio legitimo.⁷

474. Q. *Quot igitur Missae, pro ratione stipendiorum, sunt celebrandae?*

R. Tot Missae sunt celebrandae et applicandae quot stipes, etiam exiguae, oblatae et acceptae fuerunt.⁸

475. Q. *Quid faciendum si eleemosynae iam perceptae perierint?*

R. Licet eleemosynae perierint sine culpa illius qui celebrationis onere gravatur, celebrandi tamen et applicandi obligatio non cessat.⁹

476. Q. *Tenetur ne sacerdos ex iustitia celebrare loco, tempore et pro causa quam oblatores intendit?*

R. Tempus, locus et alia celebrationis adiuncta semel acceptata tenent, idque sub restituendi onere, si oblatores finis aliter obtineri nequit.

477. Q. *Quid, si Missa quam oblatores petit, rubricis obstantibus, celebrari nequit?*

R. Moneatur offerens et, nisi de eius consensu, alia non celebretur.

478. *Qui plures accepit Missas, tempore cele-*

⁶ Can. 1509, n. 5.

⁷ Qui autem, accepta stipe, Missam non celebravit, tenetur aut stipem restituere, aut Missam per se vel per alium celebrare.

⁸ Can. 828. Illicitum est igitur plura exigua stipendia a diversis accepta ad congruam eleemosynam redigere ac pro rata tot Missas celebrare.

⁹ Can. 829.

brationis non definito, potest ne alia onera suscipere?

R. Tot Missarum onera, celebrationis tempore non definito, suscipi possunt, quibus infra modicum tempus satisfieri queat.¹⁰

479. Q. *Quot Missarum onera per se celebrandarum quis recipere potest?*

R. Tot recipere potest, quibus infra annum satisfacere possit.¹¹

480. Q. *Qui, pinguiori accepta stipe, Missas aliis celebrandas transmittit, potest ne stipendii partem sibi retinere?*

R. 1^o Si Missae sunt *manuales*, receptor integram stipem ad alios transmittere debet, nisi oblatores expresse permiserit aliquid sibi retinere, aut certo constet excessum supra taxam intuitu personae datum fuisse;

2^o si Missae sunt *ad instar manualium*, nisi mens fundatoris obstet, excessum sibi retinere potest et solam transmittere eleemosynam dioecesis in qua Missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii aut causae piae.¹²

481. Q. *Licet ne transmissionis expensas e stipe detrahere?*

R. Licet; sicut etiam retinere portionem stipis quam Missarum celebrandarum receptor sua sponte condonat.

¹⁰ Tempus modicum computandum est ad unum vel plures menses, iuxta copiam onerum Missarum; ex. gr., sufficit si oneri centum Missarum infra sex menses satisfactum fuerit.

¹¹ Can. 835.

¹² Can. 840.

482. Q. *Quaenam insuper circa stipem Missarum iure vetantur?*

R. 1^o Missam applicare ad intentionem illius qui applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro Missa antea applicata; ¹³

2^o eleemosynam recipere pro Missa quae alio titulo debetur et applicatur; ¹⁴

3^o duplicem stipem pro una eademque Missa accipere; ¹⁵

4^o alteram stipem accipere pro celebratione, alteram pro applicatione eiusdem Missae: nisi certo constet unam datam esse pro celebratione sine applicatione. ¹⁶

483. Q. *Quid iure praecipitur quoad eleemosynam Missae binatae?*

R. 1^o Ut sacerdos, si unam Missam ex titulo iustitiae applicet, non recipiat eleemosynam pro alia, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco; ¹⁷

2^o ut parochus pro Missa quam binat in propria ecclesia non percipiat emolumentum aliquod ex legatorum redditibus;

¹³ Can. 825, 4^o.

¹⁴ Can. 825, 1^o.

¹⁵ Can. 825, 2^o.

¹⁶ Can. 825, 3^o.

¹⁷ Can. 824, § 2. Obligationibus iustitiae probabiliter satisfieri potest applicando Missas binatas, dummodo non agatur de iustitia *lucrativa*, videlicet pro duplici Missa non percipiatur duplex stipendium seu quasi stipendium. *Il Monit. eccles.*, 1941, p. 26.

3^o ut sacerdos Missam binatam applicans ad mentem Curiae, huic integram acceptam stipem, et non tantummodo dioecesanam, tradat. ¹⁸

484. Q. *Quorsum denique spectant leges de stipendio Missarum?*

R. Ut a stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur. ¹⁹

485. Q. *Quaenam poenae in delinquentes inferendae?*

R. In delinquentes Ordinarii pro culpae gravitate animadvertere iubentur, non exclusa, si res ferat, suspensione, vel beneficii privatione, vel, si de laicis agatur, excommunicatione.

MONITUM

Sequentes notiones de simonia — quae in beneficiorum consecutionem irrepere potest et ordinationis titulum inficere — cum partim ducemus utiliores, quam ut possent ab ordinandis eo titulo potentibus ignorari, partim vero longiores evaderent, quam ut suo loco (Parte IV, Cap. I, § 3, De titulo ordinationis) sine ipsorum incommodo interseri possent: eas huc mantissae loco appendimus.

¹⁸ Cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1938, p. 101.

¹⁹ Can. 827.

MANTISSA
DE SIMONIA

486. Q. *Quid est simonia?*

R. Simonia dicitur studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali aliquid spirituale, v. gr., sacramenta, vel spirituali adnexum puta, beneficium ecclesiasticum.¹

487. Q. *Quo iure simonia statuitur?*

R. Statuitur iure tum divino, tum ecclesiastico:

est *iuris divini*, si versatur circa rem nullimode pretio aestimabilem;

est *iuris tantum* ecclesiastici, si circa rem ex se aliquo modo venalem, sed cuius pactio, ob periculum irreverentiae erga res spirituales, ab Ecclesia prohibetur.²

488. Q. *Quo modo simonia in electione, aut praesentatione ad beneficia, aut in iisdem instituendis intercedere potest?*

R. Hoc modo intercedere potest: si tribuatur, vel promittatur, vel intendatur dare aliquid temporale pretio aestimabile eo fine, ut beneficium obtineatur; aut vicissim, si detur, vel promittatur, vel intendatur etiam dare beneficium eo fine, ut temporale aliquid pretio aestimabile recipiatur.

¹ Can. 727, § 1.

² Can. 727, § 1 et 2.

489. Q. *Ut beneficium simonia infectum censeatur, requiritur ne ut datio vel promissio fiat inter eos ipsos, qui beneficium sint consecuturi vel collaturi?*

R. Beneficium simonia quoque erit infectum si datio vel promissio fiat alicui mediatori seu intercessori: imo et si mediator alter sive intercessor, inscio proviso, supradictis modis beneficium procuret.

490. Q. *Omnia intellexi: nunc quaero num plures sint simoniae species?*

R. Ita sane; et alia *mentalis* est, alia *conventionalis*, *realis* alia; quod eruere potes ex antea data responsione.

491. Q. *Probe quidem dixisti. Nihilominus explana mihi clarius quid sit simonia mentalis?*

R. Ea est quae fit sine aliquo pacto, sed sola intentione acquirendi beneficium manifestata aliquo actu externo, ut est, ex. gr., cum datur res temporalis cum intentione obtinendi beneficium pro eiusmodi re, aut viceversa.

492. Q. *Expone etiam quid sit simonia conventionalis?*

R. Simonia *pure conventionalis* est merum pactum simoniacum ex neutra parte executioni mandatum;

mixta seu *semirealis* est simonia ab alterutra parte executioni mandata.

493. Q. *Dic tandem quid sit simonia realis?*

R. Ea est quae utrinque completur, nempe fit cum ex utraque parte traditur quod promissum fuit.

494. Q. *Quaedam alia simoniae species existit, quae nuncupari solet confidentialis. Iamvero quamdonan fit?*

R. Fit cum quis, independenter ab Apostolica Auctoritate, beneficium ecclesiasticum alteri procurat sub certa *confidentia*, seu obligatione ut illud sibi vel tertio resignet, aut ex eo pensionem vel fructuum partem solvat.

495. Q. *Dic obiter: in beneficiorum permutatione intercedere ne simonia potest?*

R. Ita certe si, propria auctoritate, aut pactio fiat de illa permutatione, aut pensionis alicuius onus imponatur, uti antea dixi.³

496. Q. *His explicatis, cedo num simonia sit grave peccatum?*

R. Simonia *iuris divini* est peccatum grave ex toto genere suo;

simonia iuris ecclesiastici est quidem peccatum grave ex genere suo, sed non ex toto et admittit parvitatem materiae.

497. Q. *Quaenam poenae feruntur in simoniacos?*

R. 1° Excommunicatio *latae sententiae* Sedi Apostolicae simpliciter reservata;⁴

2° privatio, ipso facto in perpetuum incurrenda, *iuris*, si quod habetur, eligendi nominandi, praesentandi;⁵

3° insuper, pro clericis, suspensio.⁶

³ Cfr. can. 1488, § 1.

⁴ Can. 2392, § 1.

⁵ Can. 2392, § 2.

⁶ Can. 2392, § 3: 2371.

498. Q. *Quibusnam sanctionibus iure plectitur pactum simoniacum?*

R. Contractus simoniacus et subsequens provisio, si simonia circa beneficia committatur, omni vi carent, licet simonia a tertia persona fuerit commissa, etiam inscio proviso: dummodo id in fraudem eiusdem provisi non fiat, aut eo contradicente.⁷

499. Q. *Quid consequitur ex sanctionibus in pactum simoniacum?*

R. 1° Obligatio restituendi rem simoniace acceptam, si reus restitutionis sit capax, nec obstat reverentia rei spirituali debita;

2° obligatio remittendi beneficium, vel officium, vel dignitatem;

3° inhabilitas faciendi fructus suos.⁸

500. Q. *Quis a poenis in simoniacos dispensare potest?*

R. Summus Pontifex tantum dispensare potest.⁹

⁷ Can. 729.

⁸ Can. 729, § 1 et 2.

⁹ Attamen, ex communi doctrina, si beneficium est simplex et simonia commissa fuit inscio proviso, nec is cum primum novit ratam habuit, eo in casu Episcopus dispensare potest, dummodo provisos ante iudicis sententiam faciat liberam et absolutam in manibus Episcopi resignationem.

APPENDIX I
SYNOPSIS RITUUM STABILIUM
IN CELEBRATIONE MISSAE

I

PRAEPARATIO

Sacerdotis

1. Confiteatur (si opus sit).
2. Matutinas Laudes absolverit.
3. Preces pro opportunitate dicat, vel orationi aliquantum vacet.
4. Missam perquirat, et ordinet signacula.
5. Manus lavet dicens: *Da, Domine, virtutem* etc.

Calicis

1. Ponit super os calicis purificatorium mundum.
2. Patenam cum hostia integra, quam leviter extergit a fragmentis.
3. Tegitque parva palla linea.
4. Ac velo serico et bursa, coloris paramentorum.
5. Intus habente corporale plicatum, totum lineum et mundum.

Paramentorum

1. Accedit ad paramenta integra, munda et coloris Missae convenientis.

2. Hisque, calceatus pedes, induitur supra vestem talarem.

3. Crucem deosculans in amictu, manipulo et stola.

4. Dicens ad singula proprias orationes.

II

ORATIONES RECITANDAE
AD VESTES SACRAS

1. — Orationes dicendae, cum sacerdos induitur sacerdotalibus paramentis:

Cum lavat manus: Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam; ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad amictum, cum ponitur super caput: Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad albam, cum ea induitur: Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.

Ad cingulum, dum se cingit: Praecinge me, Domine, cingulo puritatis et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

Ad manipulum, dum imponitur brachio sinistro: Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione percipiam mercedem laboris.

Ad stolam, dum imponitur collo: Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam per-

didi in praevaricatione primi parentis: et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad casulam, cum assumitur: Domine, qui dixisti: Iugum meum suave est et onus meum leve, fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

2. — Eaedem orationes laudabili more, etsi non ex praecepto, dicuntur etiam a ceteris sacerdotibus ministris, cum ipsis indui contingat.

3. — Item pro aliis vestibus laudabiliter dicuntur sequentes orationes:

Ad vestem talarem, cum ea clericus induitur: Dominus pars hereditatis meae et calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi.

Ad superpelliceum, dum a clerico assumitur: Indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.

Ad tunicellam: Tunica iucunditatis et indumento laetitiae induat me Dominus.

Ad dalmaticam: Indue me, Domine, indumento salutis et vestimento laetitiae et dalmatica iustitiae circumda me semper.

III

INGRESSUS AD ALTARE

1. Cooperto capite, sinistra calicem ante pectus tenens, dextera supra bursam, facit reverentiam simplicem cruci aut imagini.

11. Specimen examinis

2. Procedit ad altare, oculis demissis, incesso gravi, ministro praecedente.
3. Ante altare maius facit reverentiam profundam.
4. Ante locum Sacramenti genuflectit.
5. Ante altare in quo elevatur vel ministratur Sacramentum genuflexus caput detegit, adoratur donec deponatur: tum cooperit, surgit, genuflectit, prosequitur.
6. Ante Sacramentum expositum genuflectens utroque genu caput detegit, profunde inclinatur, cooperit, surgit et prosequitur.
7. Haec et in regressu ad sacristiam.

IV

IN MISSA

1^o VOX

Clara:

1. Ad ea quae dicuntur ad gradum altaris.
2. Ad ea quae in Missa solemni cantantur: excipe a *Sanctus* ad canonem.
3. Ad *Benedicat vos omnipotens Deus* etc.
4. Ad ultimum evangelium.

Media: ¹

1. Ad *Orate, Fratres*.
2. A *Sanctus* ad canonem.

¹ Sunt auctores qui vocem *mediam* non admittunt, eam cum *clara* identificantes.

3. Ad *Nobis quoque peccatoribus*.
4. Ad *Domine, non sum dignus*.

Submissa:

In reliquis.

2^o PERCUTIT PECTUS

1. Ad *Mea culpa* in confessione, ter.
2. Ad *Nobis quoque peccatoribus*.
3. Ad *Miserere nobis et Dona nobis pacem* ad *Agnus Dei*, nisi sit Missa Defunctorum.
4. Ad *Domine, non sum dignus*, ter.

3^o OSCULATUR

Altare:

1. Ante *Quorum reliquiae hic sunt*.
2. Ante *Dominus vobiscum, Orate fratres et Benedicat vos*.
3. Ante *Uti accepta habeas*.
4. Post *Ex hac altaris participatione*.

Librum:

Lecto primo evangelio, nisi sit de Requie.

Patenam:

Dicturus *Ut ope misericordiae tuae* etc.

4^o MANUS

Iunctae ante pectus:

1. Ab initio usque ad *Gloria* inclusive: excipe dum signat, percutit pectus, dicit *Oremus*, et osculatur altare.

2. Cum vertit se ad populum vel graditur.
3. In conclusione orationum *Per Dominum nostrum Iesu Christum* vel *In unitate*.
4. Dicens *Munda cor meum et Dominus vobiscum* ante utrumque evangelium.
5. Legens utrumque evangelium.
6. Recitans symbolum.
7. Legens offertorium.
8. Dicens *Gratias agamus* in praefatione.
9. A *Sanctus* ad *Benedictus qui venit*.
10. Orans in utroque *Memento*.
11. Ab *Oremus, praeceptis salutaribus* etc. ad *Pater noster*.
12. Ad *Agnus Dei* etc. usque ad primam pectoris percussione. — In Missis Defunctorum usque ad ultimum *Agnus* inclusive.
13. Ad antiphonam *Communio*.
14. Ad *Ite, Missa est* etc. vel *Benedicamus* etc. aut *Requiescant* etc.
15. Cum aliquid est benedicturus.

Iunctae super altare:

1. Ad *Oramus te, Domine* etc.
2. Ad *In spiritu humilitatis* etc.
3. Ad *Suscipe, Sancta Trinitas* etc.
4. Ad *Te igitur, clementissime* etc.
5. Ad *Supplices te rogamus* etc.
6. Ad tres orationes ante sumptionem hostiae.
7. Ad *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc.

Extensae ante pectus:

1. Ad orationes quae dicuntur sine inclinatione.
2. In praefatione a *Vere dignum* ad *Sanctus*.
3. Ab *In primis quae tibi offerimus* etc. ad *Memento*.
4. Ab *Et omnium circumstantium* etc. ad *Per eundem* etc.
5. Ab *Unde et memores* etc. ad *De tuis donis ac datis*.
6. A *Supra quae* etc. ad *Supplices te rogamus* etc.
7. Post *Nobis quoque peccatoribus*.
8. Ad totam orationem dominicam.

Extensae super altare:

1. Quoties illud osculatur; vel genuflectit.
2. Ad *Per omnia saecula* etc. et *Dominus vobiscum* in praefatione.
3. Ad *Per omnia saecula* etc. ante *Praeceptis salutaribus* etc.

Super, vel tenendo librum:

Ad epistolam, graduale, tractum et sequentiam.

Extendendae et iungendae ante pectus:

1. Ad *Oremus* ante *Aufer*, et offertorium.
2. Ad *Dominus vobiscum* versus populum.
3. Ad *Orate, fratres*.

Extendendae, iungendae et statim
extendendae:

Ad *Oremus* ante orationes in cornu epi-
stolae.

Elevandae:

Ad *Sursum corda*.

Extendendae, elevandae
et statim iungendae ante pectus:

1. Ad *Gloria in excelsis*.
2. Ad *Veni, sanctificator*.
3. Ad *Credo in unum Deum*.²
4. Ante *Te igitur*.
5. Ad *Benedicat vos* etc.

Elevandae ante pectus vel faciem
et iungendae:

1. In utroque *Memento*.
2. Post sumptionem hostiae.

5^o GENUFLECTIT

1. Accedens, recedens et rediens ad gradum
altaris ut Missam incipiat, si in eo sit Sacra-
mentum.

² Ad *Credo* in Ritu celebrationis Missae VI, 3, legitur
« elevans et extendens, iungit manus »; in Ordine autem
Missae legitur « extendens, elevans et iungens manus »:
quae rubricae videntur diversae, sed in praxi aequipa-
rantur.

2. Quoties in Missali notatur.
3. Dum ipsemet dicit: *Flectamus genua*.
4. In symbolo ad *Incarnatus est*.
5. Ante et post contrectationem Sacramenti.
6. Ad *Verbum caro factum est* in evange-
lio S. Ioannis.
7. Statim post consecrationem oblatarum,
genuflectit, adorat.

6^o INCLINAT

Profunde:

1. Accedens et rediens ad gradum altaris ut
Missam incipiat, necnon recedens completa Mis-
sa, si in eo non sit Sacramentum.
2. Ad *Confiteor*, donec incipiatur a mi-
nistro.
3. Ad *Munda cor meum* etc.
4. Ad *Te igitur, clementissime Pater* etc.
5. Ad *Supplices te rogamus* etc.

Medie:

1. A *Deus tu conversus* ad *Oremus*.
2. Ad *Oramus te, Domine* etc.
3. Ad *In spiritu humilitatis* etc.
4. Ad *Suscipe, sancta Trinitas* etc.
5. A *Sanctus* ad *Benedictus*.
6. Ad orationes ante sumptionem hostiae.
7. Ad *Domine, non sum dignus* etc.
8. Ad sumptionem hostiae.

Infime:

1. Accedens et recedens a medio altaris.
2. Ad *Gloria Patri* etc.
3. In hymno angelorum, ad 1) *Deo*; 2) *Adoramus*; 3) *Gratias* etc...; 4) *Iesu Christe*; 5) *Suscipe* etc.; 6) iterum *Iesu Christe*.
4. Ad *Oremus* ante orationes, offertorium et *Praeceptis salutaribus* etc.
5. Ad nomen *Iesu, Mariae, Sancti* de quo fit *Missa* aut commemoratio et *Papae*.
6. In symbolo, ad 1) *In unum Deum*; 2) *Iesum Christum*; 3) *Simul adoratur*.
7. In praefatione, dum dicit *Deo nostro*.
8. Dum orat in utroque *Memento*.
9. Ad *Tibi gratias agens* ante utramque consecrationem.
10. Ad verba utriusque consecrationis, cubitis super altare positus.
11. Ad *Per eundem Christum* etc. in conclusione secundi *Memento*.
12. Ad *Agnus Dei* etc.
13. Ad *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc.
14. Ad *Omnipotens Deus* ante benedictionem.
15. Ad *Humiliate capita vestra Deo*.

7º OCULI

Demittendi:

1. Cum graditur per ecclesiam.
2. Cum vertitur ad populum.
3. Cum orat in *Memento* vivorum.

Elevandi:

1. Ante *Munda cor meum*.
2. Ante *Suscipe, sancte Pater*.
3. Dum dicit totum *Offerimus... calicem*.
4. Dicens: *Veni, sanctificator* etc.
5. Ante *Suscipe, sancta Trinitas*.
6. Dicens: *Deo nostro* in praefatione.
7. Ante *Te igitur*.
8. Dicens: *Et elevatis oculis* etc.
9. Ante *Benedicat vos*.

Defigendi in Sacramentum:

1. Ad utramque elevationem.
2. Dum orat in *Memento* mortuorum.
3. Dum recitat orationem dominicam.
4. Ad orationem ante sumptionem hostiae.
5. Cum Sacramentum contrectat.

8º CUM SIGNAT SEIPSUM:

1. Sinistram ponit infra pectus.
2. Dexteræ palmam ad se vertit.
3. (Omnibus digitis iunctis et extensis).
4. A fronte ad pectus, ab humero sinistro ad dexterum format signum crucis.

9º CUM SIGNAT OBLATA VEL ALIA:

1. Sinistram ponit super altare vel librum, cum est ad altare; secus supra se.
2. Totam dexteram extendit.
3. (Omnibus digitis pariter iunctis et extensis).

4. Parvum digitum vertit rei benedicendae.
Haec in omni benedictione nisi aliter notetur.

10^o SIGNAT

Seipsum:

1. Initio Missae ad: *In nomine Patris* etc.
2. Ad *Adiutorium nostrum* etc.
3. Ad *Indulgentiam, absolutionem* etc.
4. Ad introitum, nisi Missa sit Defunctorum.
5. In fine *Gloria: Cum Sancto Spiritu.*
6. In fine *Credo: Et vitam venturi saeculi.*
7. Post *Sanctus: Benedictus qui venit* etc.
8. In canone: *Omni benedictione.*
9. Ad *Da propitius pacem* cum patena.
10. Ante sumptionem hostiae: *Corpus Domini nostri I. C.* cum hostia.
11. Ante sumptionem calicis: *Sanguis Domini nostri I. C.* cum calice.
12. Ante utrumque evangelium pollice in fronte, ore et pectore.

Librum:

1. Manu, ad introitum in Missis Defunctorum.
2. Pollice, initio utriusque evangelii.

Oblata communiter:

1. Ad *Benedic hoc sacrificium.*
2. Ad *Haec dona, haec munera* etc., ter.

3. Ad *Benedictam, adscriptam* etc., ter.
4. Ad *Hostiam puram, hostiam* etc., ter.
5. Ad *Sanctificas, vivificas* etc., ter.

Hostiam, deinde calicem:

1. Dicens: *Ut nobis corpus et sanguis* etc.
2. Dicens: *Panem sanctum vitae aeternae et calicem* etc.
3. Dicens: *Corpus et sanguinem sumpserimus.*

Hostiam tantum:

Ad *Qui pridie* etc. dicens: *Benedixit.*

Calicem tantum:

1. Ad *Simili modo* dicens: *Benedixit.*
2. Ad *Per ipsum* etc., ter cum hostia.
3. Ad *Pax Domini* etc., ter cum particula hostiae.

Super corporale:

1. Post hostiae oblationem, ut deponat, cum patena.
2. Post *Offerimus* cum calice, ut deponat.
3. Ad *Est tibi Deo Patri* etc., bis cum hostia calicem inter et pectus.

Aquam:

Ad *Deus, qui humanae substantiae* etc., nisi Missa sit Defunctorum.

Populum:

In fine Missae, ad benedictionem.

V

IN MISSIS DEFUNCTORUM

1. Psalmus *Iudica me, Deus* et *Gloria* omit-
tuntur.
2. Ad introitum non signat se, sed librum.
3. Loco *Gloria* repetitur *Requiem*.
4. *Gloria in excelsis Deo* et *Alleluia* omit-
tuntur.
5. Benedictio, dicto *Munda cor meum*, etc.,
omittitur.
6. Osculum libri et *Per evangelica dicta*
etc. omittuntur.
7. *Credo* omittitur.
8. Benedictio aquae ad: *Deus, qui humanae*
etc. omittitur.
9. *Gloria Patri* in fine psalmi *Lavabo* omit-
titur.
10. Ad *Agnus Dei* dicitur: *Dona eis requiem*,
et tertio additur *sempiternan*.
11. Et non percutit pectus.
12. Prima oratio post *Agnus Dei* omittitur.
13. Non datur pax.
14. Loco *Ite Missa est* dicitur *Requiescant*
in pace.
15. Et benedictio in fine Missae omittitur.

APPENDIX II

DOCUMENTA ET FORMULAE

I. — Documenta exhibenda a clericis sae-
cularibus et a religiosis qui saecularium iure re-
guntur.

1. *Pro tonsura et omnibus ordinibus.*

a) Postulatio ordinationis ad episcopum
seu ordinarium religiosum facta.

b) Testimonia:
de legitimitate natalium, pro tonsura;
de receptis baptisate et confirmatione,
pro tonsura;
de ultima ordinatione, pro subsequen-
tibus ordinibus;
de bonis moribus;
de peractis studiis ad normam canonis
976;
de peractis exercitiis spiritualibus ad
normam canonis 1001.

c) Alia testimonia aliquando iure requi-
sita:
litterae testimoniales;
litterae dimissoriales proprii Episcopi,
seu Ordinarii religiosi;
de dispensatione ab irregularitate;
de cessatione impedimenti simplicis;
de iureiurando ad normam canonis 956
emisso etc. etc.

2. *Pro maioribus ordinibus.*

Testimonia:

de legitima aetate;

de titulo ordinationis;

de publicis denuntiationibus ad normam canonis 998.

II. — Inquisitiones pro scrutinio canonico.¹I. - *Inquisitio a parochia facienda.* Parochus in sua scripta relatione super his suam mentem aperiet:

1) Num clericus in explendis pietatis operibus (videlicet in piis peragendis commentationibus, in audienda Missa, in visitatione Ssmi Sacramenti atque in mariali rosario recitando) sedulus et devotus exstet.

2) Num ad sacram confessionem et ad sacram synaxim crebro ac devote accedat.

3) Num diligenter ac pie in sacris functionibus suum ministerium expleat.

4) Num christianae doctrinae tradendae, quatenus huic muneri extra Seminarium addictus fuerit, suam operam navet.

5) Num studium curamque prodat divinum provehendi cultum, animarum curandi bonum, atque ad sacra exercenda ministeria propensionem patefaciat.

6) Quibus speciatim intendat studiis, et qua sedulitate.

7) Num profanis perlegendis libris dia-

¹ Ex Instr. S. C. de Sacramentis, d. 30 decembris 1930 (*Acta Ap. Sed.*, 1931, p. 128).

riisque, odium contra fidem vel bonos mores foventibus, sit deditus.

8) Num autumnalibus feriis, extra Seminarium, clericali veste usus sit atque utatur.

9) Num praedictis feriis cum aliquibus utriusque sexus personis non bonae fama, aut etiam bonae fama sed cum scandalo et admiratione fidelium, si agatur de personis alterius sexus, familiaritatem foverit, vel loca frequentaverit haud suspitione carentia.

10) Num in loquendo probum ac integrum sese ostenderit.

11) Num occasionem praebuerit ut censoria nota afficeretur circa mores, vel Ecclesiae doctrinam et praecepta.

12) Quomodo se gerat cum pueris, puellis aliisque diversi sexus personis.

13) Num se proclivem exhibeat ad vitae commoda, ad copiosum hauriendum vinum, ad liquores sumendos, atque ad profana oblectamenta capienda.

14) Num caritatem ostendat, demissionemque atque obsequium iis qui praesunt, praebat.

15) Quae sit publica de ipsius vocatione opinio.

16) Num inter parentes alicuius infirmitatis indicia, ac praecipue mentis morumque pravorum, adsint, quae atavismum suspicari sinant.

17) Num parentes, vel alter e familia, ipsum impellant ad sacerdotium ineundum.

II. - *Exquirenda a personis probis.* Quo facilius personae probae interrogationibus responsa praebeant, haec ab ipsis erunt exquirenda:

1) An clericus sive in ecclesia sive in consuetudine cum aliis habenda, pie, graviter prudenterque se gesserit ac gerat.

2) An aliquod de sua vocatione ad sacros ordines foveri possit dubium, et qua ratione.

3) An parentes vel alter e familia ad eosdem suscipiendos sacros ordines ipsum impellant.

4) An familiariter utatur cum iis qui in suspicionem veniant de fidei carentia, vel de malis moribus.

5) Quae sit publica et praecipue praestantium hominum existimatio de agendi ratione, tum morali tum religiosa, eiusdem clerici et de eius vocatione ad sacerdotium ineundum.

III. — Postulatio litterarum testimonialium

Excellentia Reverendissima, (*vel* Reverendissime Domine).

Commoratione a me habita in loco (oppido, civitate) tuae dioecesis ..., a die ..., mensis ... anni ... ad diem ... mensis ... anni ..., testimoniales litteras exhibere debeo ut licite promovear ad primam tonsuram (*vel* ad ordines) — (*vel* exhibere debeo ut licite promovear ad primam tonsuram... ad ostiariatum... in proxima ordinatione Sabbati Quatuor Temporum...). — Quapropter, reverendissime, quaeso ut eas mihi, si fieri potest, concedere digneris.

Ferventes iam referens gratias, Excellentiam tuam rogo (*vel* Te rogo, Reverendissime Domine) ut me habere velis

humillimum et obsequentissimum
servum
N. N.

IV. — Postulatio ordinationum.

1. - *Pro clericis saecularibus.* Ego, N. N. alumnus Seminarii N., libera omnino atque spontanea voluntate, humillime postulo a Reverendissimo Ordinario dioecesis ... admissionem ad primam tonsuram (*vel* ordinem ...) additis documentis a sacris canonibus requisitis.

Excellentia Sua (*vel* Reverendissimus Dominus) me habere dignetur observantissimum et addictissimum filium.

(Loco) ... die ... mensis ... anni ...
N. N. (subscriptio)

2. - *Pro religiosis novitiis.* Ego subsignatus N. N., clericus novitius Ordinis (Congregationis, vel Societatis) ..., sentiens me ad statum religiosum et clericalem vocari (et mox vota temporaria professurus), libera omnino ac spontanea voluntate postulo, ut opportuno tempore ad primam tonsuram singulosque ordines promovear, firmum habens propositum perpetuo me clericali militiae in praedicto Ordine (Congregatione vel Societate) ... mancipandi.

(Loco) ... die ... mensis ... anni ...
N. N. (subscriptio)

V. — Iusiurandum praestandum, ad normam can. 936 C. I. C., a quibusdam adspirantibus ad primam tonsuram.

² Ego N. N., cum habeam simplex domicilium sine origine in dioecesi ..., ad normam Iuris coram Domino voveo ac iuro in eadem dioecesi me perpetuo manere velle.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae manibus tango.

In quorum fidem subsigno.

(Loco) ... die ... mensis ... anni ...

³ Ego infrascriptus coram Domino testificor Reverendum Dominum ... huius Seminarii ... alumnum, ad primam tonsuram candidatum, suprascriptam iurisiurandi formulam coram me emisisse.

In quorum fidem subscribo.

(Loco) ... die ... mensis ... anni ...

(Subscriptio)

VI. — Iusiurandum praestandum, ad normam can. 981, § 1, a clericis qui titulo servitii dioecesis ordinantur.

Ego N. N., candidatus ad ordinem subdiaconatus titulo servitii dioecesis suscipiendi, ad normam Iuris spondeo ac iuro me dioecesi ... per-

² Formula emittentis iusiurandum.

³ Formula recipientis iusiurandum ex Episcopi delegatione.

petuo inserviturum, sub Ordinarii praedictae dioecesis pro tempore auctoritate.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia, quae manibus tango.

In quorum fidem subsigno.

(Loco) ... die ... mensis ... anni ...

(Subscriptio)

VII. — Testimonium de studiis peractis, ad normam can. 976 C. I. C.

Ego, infrascriptus Rector Seminarii ... sub iuramenti fide, testificor Reverendum Dominum ... huius Seminarii alumnum a die ... mensis ... anni ... cursum theologicum rite frequentasse ut valeat suscipere primam tonsuram (*vel ordinem* ...) ad normam can. 976 C. I. C.

In quorum fidem subsigno.

(Loco) ... die ... mensis ... anni ...

(Subscriptio)⁴

VIII. — Declaratio propria manu subscribenda a candidatis in singulis sacris ordinibus suscipiendis, iuramento coram Ordinario praestito.⁵

Ego, subsignatus N. N., cum petitionem Episcopo exhibuerim pro recipiendo subdiacona-

⁴ Cetera testimonia a superioribus exhibenda pro ordinationibus recipiendis, sub eadem formula, mutata materia, exarari poterunt.

⁵ Ex Instr. S. C. de Sacramentis, 27 decem. 1930 (*Acta Ap. Sed.*, 1931, p. 127).

tus (*seu* diaconatus, *vel* presbyteratus) ordine, sacra instante ordinatione, ac diligenter re perpensa coram Deo, iuramento interposito, testifcor in primis, nulla me coactione seu vi, nec ullo impelli timore in recipiendo eodem sacro ordine, sed ipsum sponte exoptare, ac plena liberaque voluntate eundem velle, cum experiar ac sentiam a Deo me esse revera vocatum.

Fateor mihi plene esse cognita cuncta onera ceteraque ex eodem sacro ordine dimanantia, quae sponte suscipere volo ac propono, eaque toto meae vitae curriculo, Deo opitulante, diligentissime servare constituo.

Praecipue quae caelibatus lex importet clare me percipere ostendo, eamque libenter explere atque integre servare usque ad extremum, Deo adiutore, firmiter statuo.

Denique sincera fide spondeo iugiter me fore, ad normam sacrorum canonum, obtemperaturum obsequentissime iis omnibus quae mei praecipient Praepositi, et Ecclesiae disciplina exiget, paratum virtutum exempla praebere sive opere sive sermone, adeo ut de tanti officii susceptione remunerari a Deo merear.

Sic spondeo, sic voveo, sic iuro, sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia, quae manibus meis tango.

(Loco) ... die ... mensis ... anni ...

(Subscriptio)

IX. — Eadem declaratio pro candidatis ad subdiaconatum, pertinentibus ad aliquem Ordinem seu Congregationem.⁶

Ego subsignatus N. N., alumnus Ordinis, vel Congregationis N. N., cum petitionem Superioribus exhibuerim pro recipiendo subdiaconatus ordine, diligenter re perpensa coram Deo, iuramento interposito, testifcor: 1. Nulla me coactione, seu vi, aut nullo impelli timore in recipiendo eodem sacro ordine, sed ipsum sponte exoptare, ac plena liberaque voluntate eundem cum adnexis oneribus amplecti velle. — 2. Fateor mihi plene esse cognita cuncta onera ex eodem sacro ordine dimanantia, quae sponte amplector ac, Deo opitulante, propono me toto vitae curriculo diligenter servare. — 3. Quae castitatis voto ac caelibatus lege praecipuntur, clare me percipere testor, eaque integre servare usque ad extremum vitae, Deo adiuvante, firmiter statuo. — 4. Denique sincera fide spondeo iugiter me fore, ad normam sacrorum canonum, obsequentissime obtemperaturum iis omnibus quae mihi a Praepositis, iuxta Ecclesiae disciplinam, praecipuntur, paratus virtutum exempla, tum opere, cum sermone, aliis praebere, adeo ut tanti officii susceptione retributionem a Deo promissam accipere merear. Sic testor ac iuro, super haec sancta Dei evangelia, quae manu mea tango.

(Loco) ... die ... mensis ... anni ...

N. N. manu propria

⁶ Ex Instr. S. C. de Religiosis, 1^o decem. 1931 (*Acta Ap. Sed.*, 1932, p. 80).

X. — Litterae testimoniales pro Religiosis non exemptis.

N. N., Superior Generalis (*vel* Provincialis) Tibi dilecto in Christo Filio N. N., Religionis nostrae professo (*vel* Societatis nostrae alumno, *pro tonsura et ordinibus minoribus*; professo a votis perpetuis, *aut* a triennio professo, *vel* a triennio nostram in Societatem perpetuo cooptato, *pro ordinibus maioribus*), e Familia domus religiosae nobis subditae, salutem in Domino.

Omnibus has inspecturis fidem facimus ac testamur te:

Pro tonsura: legitimis natalibus ortum, rite baptizatum et confirmatum, (ab ordinario servitio militari exemptum), cursum theologicum aggressum, firmum retinentem propositum — ut patet ex tua petitione ac declaratione in nostro archivo asservata — perpetuo te clericali militiae in statu regulari mancipandi;

Pro ordinibus minoribus: prima tonsura iamdiu initiatum (*vel* iamdiu in ostiariatus et lectoratus ordine constitutum), cursum theologicum persequentem, firmum retinentem propositum — ut patet ex tua petitione ac declaratione in nostro archivo asservata — perpetuo te clericali militiae in statu regulari mancipandi;

Pro subdiaconatu: in acolytatus ordine ab anno constitutum, XXI aetatis annum praegressum, III theologici cursus annum propediem expleturum (praescriptis proclamationibus in tua paroecia iam publice denuntiaturum), testimonium iuramento firmatam de plena liberaque tua

voluntate subdiaconatus ordinem cum adnexis oneribus amplectendi exhibuisse; fidei professionem cum iuramento antimodernistico emisisse;

Pro diaconatu: in subdiaconatus ordine tres iam menses constitutum, XXII aetatis annum praegressum, IV theologici cursus annum ingressum, (praescriptis proclamationibus in tua paroecia iam denuntiaturum);

Pro presbyteratu: in diaconatus ordine tres iam menses constitutum, XXIV aetatis annum praegressum, dimidium IV theologici cursus anni praetergressum, (praescriptis proclamationibus in tua paroecia iam denuntiaturum);

Pro singulis ordinationibus addatur: nulla irregularitate nulloque canonico impedimento detentum; imo ex scrutinio accurate peracto moribus, pietate, modestia, castitate, in studiis ecclesiasticis profectu, necnon religiosa disciplina commendatum; idcirco dignum te pronuntiamus qui in proxima ordinatione ab Exc^{mo} et Rev^{mo} DD. N. N., Episcopo N., ad primam tonsuram (*vel* ad ostiariatum et lectoratum etc.) promovearis.

In quorum fidem has praesentes manu nostra subscriptas nostraeque Religionis (*vel* Congregationis, Societatis) sigillo munitas dedimus.

Datum N., ex aedibus nostris, die ..., mense ..., anno ...

(L. ✠ S.)

N. N. (subscriptio)
Superior Generalis (Provincialis)

INDEX ALPHABETICUS
PRAECIPUARUM RERUM EXAMINIS

IUXTA PERPETUOS NUMEROS MARGINALES DIGESTUS

ABSOLUTIO, sacramentalis, a Domino instituta 326; eius facultas quid importet 327 iurisdictio requiritur 328, 329; sed non in periculo mortis 330; cum acatholicis 329; cum non valentibus loqui 334, 335; formula ex Rituali Romano 335 bis.

ACOLYTHATUS, quid 201; elementa constitutiva 202, 203; relatio ad Eucharistiam 204; ritus susceptionis 205; munia 206; vitutes 210.

ASPIRATIO, signum vocationis quale 13-16.

BAPTISMUS, cuius minister sacerdos 316; eius conferendi potestatis connexio cum potestate praedicandi 309 n.

BENEFICIUM, quid 247; simonia quoad beneficium, 485 s.

BENEDICTIONES, impertiendi potestas a Christo 318; quid benedictio 319; extensio potestatis 320; eius coniunctio cum potestate praesidendi 325; benedictiones reservatae 320; delegatio 321; qua ratione dandae 322; quoad ordinatos in minoribus a sacerdote 190 n., 284, 285.

CANTORATUS, non ordo sed officium liturgicum 168.

CATECHUMENI, quid 190 n.

CELEBRANS, quae in celebrando dispositiones 459; qualis intentio et quo dirigenda 460, 461; conscientiae puritas 462-463; ieiunium 464; vestis 465; vox 466; tempus insumendum 467; diligentia 468;.

CENSURA, quid 92; quotuplex 93-94; quoad irregularitatem 100; absolutio 102.

CHARACTER, quid 118; eius naturae scholastica expositio 118 n.; impressio 119; indelebilitas 120.

CLERICUS, nomen 2; habitus 68; iura 75; privilegia 79 ss.;

- officia 88; vitanda 90 ss.; an subdiaconum agere queat 207; et sacra vasa tangere 209.
- COMMUNIO, eius distributionis ministri 281, 317, 345, 351 ss.; tempus 353; locus 354; vestes 355.
- CONFESSIO, sacramentalis, potestas uni sacerdoti a Christo data 307, 326; iurisdictio requisita 328, 329; quid de moribundis 331 ss.
- CONTINENTIA, clericalis, quid importet 215; quo iure statuta 216; qua causa 217; an voto aequivaleat 218, 219; an eam ignorantem obliget 220, 221; peccatum contra castitatem 222, matrimonii attentatio 223.
- DEFECTUS, canonicus, in clerico impedit ab ordinatione 158, 160; quae sint reparanda 161, 162; quae praevenda 163; in Missa, quando et quomodo reparandus, quando non 421 ss.
- DELICTUM, quid 38; causa irregularitatis 37, 39; quinam irregulares ex delicto 41, 42.
- DIACONATUS, praerequisita 268; quid 269; an sit sacramentum 270, 271; materia et forma 273, 275; ritus susceptionis 278; vestium symbolismus 278 n.; functiones 279; quoad baptismum ministrandum 279, 290; quoad Eucharistiam 281; quoad praedicationem 282; quoad benedictiones 284, 285; quoad reliquias exponendas 284 n.; quoad exsequias 287; virtutes propriae 288.
- DISPENSATIO, quid 53 n.; ab impedimentis canonicis 54; a divino Officio 242; a poenis in simoniacos 500.
- DOCUMENTA, ad ordinationem requisita 150.
- DOMICILIUM, canonicum, quid 134, 135; quotuplex 136; adeptio 137; quoad ordinationem 132.
- DUBIUM, iuris et facti 54 n.
- ENERGUMENI, quid 194; quoad exorcistam 199.
- EPISCOPATUS, materia et forma 129 n.; quid 211, 294; eius collatio cum presbyteratu 293; praestantia 294.
- EUCCHARISTIA, in eam potestas a Deo collata 345 s.; ut sacramentum et sacrificium 355; eius minister 351; obligatio ministrationis 352; ministrationis tempus 353; locus 354; indumenta 355; ritus substantialis idem semper et ubique 356, 359; solemnitas 357, 358.
- EXAMINA, et documenta ordinationi praevia 150, 151, 153, 154.

- EXCARDINATIO, quid 140; quomodo fiat 141.
- EXCOMMUNICATIO, quid 95; effectus 96; excommunicati tolerandi et vitandi 95 n.
- EXORCISTATUS, quid 192; elementa constitutiva 193, 194; relatio ad Eucharistiam 195; ritus susceptionis 196; officia 198; exercitii condiciones 199; virtutes 200.
- EXTREMA UNCTIO, divinitus instituta 336; eius minister et subiectum 337, 338, 339; obligatio 340; materia et forma 341; ritus 342; effectus 343; iteratio 344.
- GRATIA, sanctificans 114; sacramentalis 115.
- HIERARCHIA, quid 103; quotuplex 104 s.; constitutio 110, 167.
- HORAE CANONICAE, quid 224; quot 225; ratio, momentum, ambitus obligationis eas recitandi 233; modus 234; evagationes cavendae 240; cura adhibenda 241; indulgentiae adnexae 241 n.; causae a recitatione excusantes 242.
- IGNORANTIA, iuris et facti, quid et an excuset ab impedimentis contrahendis 44, 44 n.
- IMPEDIMENTUM, quid 34; quotuplex 35; radices 37; simplex quid 34, 48; species 49; quid si ignoretur 50; multiplicatio 51; violatio 52; remotio 53; dispensatio 54.
- IDONEITAS, ad clericatum quid et quotuplex 8; quomodo comprobanda 9.
- INCARDINATIO, quid 138; quomodo fiat 139; quare facienda 142.
- INCLINATIO, quoad vocationem, 13, 14.
- INDULGENTIAE, pro superpelliceo induendo 68 n.; pro divino Officio recitando 241 n.; in prima Missa neomytae 303 n.; pro precibus ante et post Missam 468 n.
- INFAMIA, iuris et facti, quid et an impedimentum pariat, 46 n.; 49 n.
- INSTRUMENTA, traditio non est ad ordinationis valorem, in diaconatu et presbyteratu 129.
- INTENTIO, recta pro clericatu 7, 12; in ordinatione 122, 123, n.; 127; in consecratione 407; pro celebratione 459, 460.
- INTERDICTUM, quid et quotuplex 98; quomodo agat 99.
- INTERSTITIA, quid 146; quibus legibus obnoxia 147.
- IRREGULARITAS, quid 35; species et capita 36, 37; ex delicto,

- ubi resideat 39; quotuplex 41 s.; ex defectu, quotuplex 46; conditiones 47; relate ad censuram 100.
- IURAMENTA, ordinationi praemittenda 152.
- IURISDICTIO, ad confessiones requisita 327 s.
- LAICIZATIO, clerici 84 s.; redintegratio 87.
- LECTORATUS, quid 185; elementa constitutiva 186, 187; relatio ad Eucharistiam 188; ritus susceptionis 189; munia 190; quoad benedictiones 190 n.; virtutes 191.
- LIBELLI, supplices, ante ordinationem 151.
- LOCUS, ecclesiastice quid, eiusque species 194 n.
- MATRIMONIUM, quinam ministri 317.
- MISSAE SACRIFICIUM, quid 360; preces et solemnitates 356 s.; distinctio quoad externum apparatus 357, 358; partes 361; institutio unde 362; sacrificium N. Legis 360, 362; excellentius praecedentibus V. Legis 390; sensibilibus oblatum 365, 373; verum et proprium 336, 367; eius actio essentialis 368, 369; unum cum sacrificio Crucis 371; eius oblator Christus 374, 375; offerunt etiam fideles et Ecclesia 376, 377; eius valor 378, 379; fructus 381; fructuum species 382; Missae applicatio 383 n.; applicationis subiectum 384, 385; effectus quoad nos et finis ultimus 388, 389; materia 391, 393; forma 394, 395; ritus 415; iuris divini 416, 417 s.; iuris ecclesiastici 419; dispositiones celebrantis 459 s.
- MISSAE RITUS, quid 415; iuris divini et ecclesiastici 416, 417; quot et quinam 418, 419; ad validitatem utraque materia consecranda 420, 421; quid si materia inepta aut dubia 422 s.; utraque sumenda 426 s.; panis fragmenta 432; Missae abruptio 433; peculiare casus 440 s.; precibus et caeremoniis nihil demendum, addendum, mutandum 445, 446; qualis celebrationis locus 448, 449; quales dies et horae 452, 453; celebratio in aliena ecclesia 454; paramentorum color 455; minister inserviens 456; vasa, vestes, linteamina etc., utrum benedicenda 457, 458.
- MISSAE STIPES, institutum probatum 469; stipendii species 470; pretium legitimum 471; obligatio 473; Missae applicatio 474 n.; tempus et locus 476; quot applicationes acceptandae 478, 479; partialis retentio stipendii, 480; quatenam iure vetita, 482; binatio Mis-

- sae quoad stipendium 483; mercatura omnino vitanda 484; poenae in mercatores 485.
- MORIBUNDI, ratio versus eos se gerendi quoad confessiones, 331 s.
- MORS, periculum, articulum 330 n.
- ORDINATI, obligationes communes 175; obligatio continentiae pro ordinatis in maioribus 214.
- ORDINATIO, quid 107, 108 s.; eius auctor 110; est sacramentum 110, 112; eius effectus 113 s.; requisita ad validitatem 122, 127; materia et forma 124, 125, 129, 130; minister 126, 130; intentio 127; ritus et utrum obligent 128; requisita ad licitatem 129 n.; minister competens 131, 132 s.; tempus 143; locus 144; gradatio 145 s.; interstitia 146, 147; aetas 148; studia 149; quatenam praemittenda 150 s.; dispositiones subiecti 155; quae ab eodem praestanda 156; defectus ordinationis, quid 158; quot 160; praxis 161; reparatio 162; quae cavenda ad validitatem 163, 164.
- ORDINES, quid 110; divisio in minores et maiores 165, 166, 211; id quare 169; unitas in multiplicitate 170; antiquitas 167; singulos Christus in se ostendit 174 n.; an singuli sint sacramenta 171; effectus 172, 173.
- OSTIARIATUS, quid 176; elementa constitutiva 177, 178; relatio ad Eucharistiam 179; susceptionis ritus 180; officia 181, 182; virtutes 184.
- PATRIMONIUM, quid 248; titulus ordinationis 245.
- PENSIO, quid, quotuplex 249, 250; titulus ordinationis 245.
- POENA ECCLESIASTICA, quid et quotuplex 92 n.
- POTESTAS, ordinis 105; iurisdictionis 106; pro confessione sacramentali 327, 328.
- PRAEDICATIO, quando a Christo instituta 309; quibus collata potestas 309 n.; an diaconis 279, 282, an ceteris clericis 283; qua ratione munus exercendum 331, 314; relatio cum baptizandi potestate 309, 309 n.
- PRAESIDENTIA, quid importet 323; quomodo exercenda 324, relatio cum benedicendi potestate 325.
- PRESBYTERATUS, praerequisita 289; quidditas 290; sacramentalitas 291, 292; relatio cum Episcopatu 293, 294; praecipui ordinationis ritus 295; elementa essentialia 296, 297; receptionis ordo 300, 301 n.; ordinationis effectus 306; virtutes propriae 304; obligationes 305;

munia 307; omnia Christus instituit 309, 318, 326, 336, 345.

PROFESSIO, religiosa seu quid simile ordinationi praemitendum 149 n.; item fidei professio 152.

SACERDOTIUM, Christi, quomodo explicetur in Missa 371 s.; Ecclesiae, bipartitur in presbyteratum et Episcopatum 293.

SACRAMENTA, an omnia sacerdotem ministrum habeant 317; quinam ordines sint sacramenta 171, 212, 270, 293.

SACRIFICIUM, quid 364 n.; Novae Legis, Missa 363; cetera V. L. excellens 390; materia panis, qualis esse debeat ad validitatem 392; materia vini, qualis 396; requisita ad valorem 399, ad decentiam 402 s.; qualis intentio in ministro 401; forma essentialis 404, 405 s.; qualiter proferenda 407; transubstantiatio 408 s.; species sacramentales 411, 412; defectus reparandi 413, 414.

SIMONIA, quid 485; quo iure statuta 487; circa beneficia 488, 489, 494; species 490; mentalis 491; conventionalis 492; realis 493; confidentialis 494; peccati gravitas 496; poenae in delinquentes 497; in pactum simonicum 498; consecraria 499; dispensatio 500.

STATUS, quid 1 n.; clericalis, quid 1; quibus pateat 3; quibus conditionibus 5 s.

STIPENDIUM MISSARUM, vide MISSAE STIPES.

STUDIA, pro singulis ordinationibus requisita 145.

SUBDIACONATUS, praerequisita 256, 257; quid sit 258; materia 259, 260; forma 261; susceptionis ritus 262; vestes propriae quid innuant 262 n.; officia 264; status gratiae 265; virtutes 267.

SUPERPELLICEUM, seu cotta, quid 68 n.; oratio ad induendum 68 n.

TITULUS ORDINATIONIS, quid 243; eius ratio 244; quotuplex 245, 249, 251 n.; qualitates 246; amissio 252; dimissio 253; alienatio, permutatio, remissio 254; poenae 255.

TONSURA CLERICALIS, quid 56, 57; cur dicitur sacra 57; praerequisita 58; in quo consistat 59; effectus 60; elementa constitutiva 61; non est ordo, sed ad ordines 62; tonsurandi dispositiones 63, 64; minister 65; ritus, tempus collationis 66, 67; habitus clericalis eiusque symbolismus 68, 70; susceptionis ritus eiusque sensus 69, 70; effectus 71.

TRANSUBSTANTIATIO, res 408; nomen 410.

VOCATIO, divina quid 6; canonica quid 20; necessitas 5, 22, 23; signa ordinaria 7; extraordinaria 13, 14, 15, 16; discretionis media 24.

RITUS PRO ORDINIBUS CONFERENDIS
IUXTA
PONTIFICALE ET MISSALE ROMANUM

[1]. *Ritus ordinationis*

RITUS PRO ORDINIBUS CONFERENDIS

(Pontificale Romanum, Pars I Tit. II)

Cum igitur Ordinationes faciendae sunt, per Sacristam, seu alium ad quem spectat, praeparantur omnia quae necessaria sunt pro Missa Pontificali. Et demum cum tempus Ordinationis instat, hora competenti, Pontifex Cappa magna indutus, Capellano illam post eum deferente, venit ad Ecclesiam ubi Ordinationes fieri debent, et accedens ante Altare, genuflexus ibidem aliquamdiu orat. Deinde vadit ad sedem ubi paramenta capere consuevit: vel, si non sit in Ecclesia sua, ad faldistorium, ad cornu Epistolae sibi paratum, ubi sedens accipit omnia paramenta Pontificalia coloris temporis convenientis, et mitram simplicem, dicens Psalmum: *Quam dilecta*, etc.

Pontifex sic paratus, baculum Pastoralem in sinistra tenens, accedit ad gradus Altaris, ubi depositis baculo et mitra, facta Altari reverentia cum profunda capitis inclinatione, facit cum ministris confessionem; interim cantatur a Choro Introitus, et *Kyrie eleison*. Finita confessione, Pontifex ascendit ad altare, illud in medio osculatur et textum Evangelii ad sinistram: incensat Altare more solito, resumit mitram, et revertitur ad sedem, seu ad faldistorium, ad cornu Epistolae; ubi, deposita mitra, et versa facie ad Altare, oblato sibi per ministrum libro, ex eo legit Introitum et *Kyrie, eleison*: quibus dictis, sedet cum mitra donec perficiatur a Choro ultimum *Kyrie, eleison*. Quo finito, surgit Pontifex et cum mitra ad faldistorium, ante medium Altaris sibi praeparatum, accedit, et in illo sedet, renibus Altari versis; tum Archidiaconus vocat omnes ordinandos, dicens: *Accedant omnes qui ordinandi sunt*. Quibus ante altare coram Pontifice genuflexis, et in modum coronae dispositis, Archidiaconus publice interrogat omnes, si sint aliqui qui forte non sint confirmati; quia non debent ad Ordina-

tionem accedere, nisi prius confirmentur. Et, si aliqui confirmandi erunt, tunc depositis Pontifex annulis et chirothecis, lavat manus, reassumit annulos et confirmat, prout habetur in Pontificali; vel, si non erunt aliqui confirmandi, palam interdicat per unum ex suis sub his verbis:

Reverendissimus in Christo Pater, et Dominus, Dominus N., Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N., sub excommunicationis poena praecipit, et mandat omnibus, et singulis, pro suscipiendis Ordinibus hic praesentibus, ne quis forsitan eorum irregularis, aut alias a iure vel homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a iure prohibitus, si-ve ex aliena dioecesi oriundus sine licentia sui Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus et nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere: et quod nullus ex ordinatis discedat, nisi Missa finita et benedictione Pontificis accepta.

Demum ad ordinationem procedat.

DE CLERICO FACIENDO ¹

Clericus fieri potest etiam extra Missarum solemnias, quocumque die, hora et loco.

Pro Clericis ordinandis, parentur forfices pro incidendis capillis; et bacile pro illis imponendis. Et quilibet ordinandorum habere debet suum superpelliceum super brachium sinistrum et candelam in manu dextera. Et

¹ Tonsurae fiunt: a) sabbatis quatuor Temporum, post *Kyrie, eleison*; b) sabbato *Sitientes*, et quando non dicitur *Gloria in excelsis*, immediate post Introitum; c) in dominicis et festis per annum, post *Kyrie, eleison*.

vocantur omnes tonsurandi nominatim, et singillatim, per notarium, et quilibet respondet: *Adsum*.

Quibus ante Altare coram Pontifice in faldistorio cum mitra sedente genuflexis, Pontifex surgit cum mitra, et dicit:

℞. Sit nomen Domini benedictum.


℣. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

℞. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℣. Qui fecit coelum et terram.

Oremus, Fratres carissimi, Dominum nostrum Iesum Christum, pro his famulis suis; qui ad deponendum comas capitem suorum pro eius amore festinant, ut donet eis Spiritum sanctum qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet, et a mundi impedimento ac saeculari desiderio corda eorum defendat; ut sicut immutatur in vultibus, ita dextera manus eius virtutis tribuat eis incrementa, et ab omni caecitate spirituali et humana oculos eorum aperiat et lumen eis aeternae gratiae concedat. Qui vivit et regnat cum Deo Patre, in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

Post haec, sedente Pontifice, schola inchoat et prosequitur Antiphonam et Psalmum:




Tu es, Domine, * qui resti-tu-es




he-re-di-ta tem me-am mi-hi.


PSALMUS 15




Conserva me, Domi-ne, quoni-am spe-ra-



vi in te: † di-xi Do-mi-no: De-us me-us



es tu * quoni-am bono-rum me-o-rum



non e-ges.

Sanctis, qui sunt in terra eius; * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum; * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Repetitur tota Antiphona:

Tu es Domine etc.

Incepto Psalmo, Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videli-

cet in fronte, in occipito, et ad utramque aurem deinde in medio capitis, aliquot crines capillorum, et in bacile deponit; et quilibet, cum tondetur, dicit:

Domini pars hereditatis meae et calicis mei: * tu es qui restitues hereditatem meam mihi.

Omnibus tonsis, mitra deposita, surgit Pontifex, et stans versus ad illos, dicit:

Oremus

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitem pro amore divino deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneant; et eos sine macula in sempiternum custodias. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Tum schola inchoat et prosequitur Antiphonam sequentem. Qua incepta, Pontifex sedet cum mitra.

Ant.


7.




Hi acci-pi-ent * bene-dicti-o-nem
(Hic acci-pi-et)



a Domino, et mi-se-ri-cordi-am a De-




o sa-lu-ta-ri su-o: qui-a hæc est ge-ne-




ra-ti- o quærenti- um Domi-num.


PSALMUS 23




Do mi-ni est terra, et ple-ni-tu- do e-



ius: * orbis terrarum, et universi qui ha-



bi-tant in e- o



Flexa: mundo corde, †

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens manibus et mundo corde, † qui

non accepit in vano animam suam, * nec iuravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino; * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Iacob.

Attollite portas, principes, vestras, † et elevamini, portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? † Dominus fortis et potens: * Dominus potens in proelio.

Attollite portas, principes, vestras, † et elevamini, portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.

Gloria Patri, et Filio, * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, * et in saecula saeculorum. Amen. (*)

Deinde repetitur tota Antiphona:

Hi accipient etc.

(*) PSALMUS 23 IUXTA NOVAM INTERPRETATIONEM.

Domini est terra et quae replent eam, * orbis terrarum et qui habitant in eo.

Nam ipse super maria fundavit eum, * et super flumina firmavit eum.

Quis ascendet in montem Domini, * aut quis stabit in loco sancto eius?

Qua finita, surgit sine mitra Pontifex, et ad altare conversus, dicit: *Oremus*, et ministri dicunt:

Flectamus genua.

R. Levate.

Et mox ad tonsos genuflexos versus Pontifex dicit:

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hos famulos tuos bene ✠ dicere dignare, quibus in tuo sancto nomine habitum sacrae religionis imponimus: ut, te largiente, et devoti in Eccle-

Innocens manibus et mundus corde, † qui non intendit mentem suam ad vana, * nec cum dolo iuravit proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino * et mercedem a Deo Salvatore suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Iacob.

Attollite, portae, capita vestra, † et attollite vos, fores antiquae, * ut ingrediatur rex gloriae!

« Quis est iste rex gloriae? » * « Dominus fortis et potens, Dominus potens in proelio ».

Attollite, portae, capita vestra, † et attollite vos, fores antiquae, * ut ingrediatur rex gloriae!

« Quis est iste rex gloriae? » * « Dominus exercituum: ipse est rex gloriae ».

Gloria Patri et Filio * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, * et in saecula saeculorum. Amen.

sia tua persistere, et vitam percipere mereantur aeternam. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Tum Pontifex sedet cum mitra et accipiens in manum superpelliceum, dicit singulis:

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.

Et mox imponit illud cuilibet, repetendo: *Induat te* etc., immittens usque ad scapulas et immediate trahens, si unum tantum sit superpelliceum: sicque facit usque ad ultimum, qui eo totaliter induitur. Si vero quisque suum superpelliceum habeat, singuli totaliter induuntur. Quo expedito, sine mitra surgit Pontifex et versus ad illos, dicit:

Oremus

Omnipotens sempiternae Deus, propitiare peccatis nostris, et ab omni servitute saecularis habitus hos famulos tuos emunda; ut dum ignominiam saecularis habitus deponunt, tua semper in aevum gratia perfruantur; ut sicut similitudinem coronae tuae eos gestare facimus in capitibus, sic tua virtute hereditatem subsequi mereantur aeternam in cordibus. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Deinde sedet cum mitra Pontifex et alloquitur eos sub his verbis:

Filii carissimi, animadvertere debetis quod hodie de foro Ecclesiae facti estis, et privilegia clericalia sortiti estis: cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis, et habitu honesto, bonisque moribus atque operibus, Deo placere studeatis. Quod ipse vobis concedat per Spiritum Sanctum suum.

R. Amen.

Tum, suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua.

DE MINORIBUS ORDINIBUS

Quatuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnias, diebus dominicis, et festivis duplicibus; sed in mane tantum.

Ordinandi omnes ad quatuor minores Ordines esse debent superpelliceis induti, cum candela in manu dextera.

DE ORDINATIONE OSTIARIORUM ¹

Pro Ostiariis ordinandis parentur claves Ecclesiae.

Pontifex, Clericis ordinatis, surgit, et cum mitra ad sedem seu faldistorium ad cornu Epistolae revertitur; ubi, deposita mitra, et ad Altare conversus, oblato sibi libro, cantat primam Collectam, deinde sedet, reassumit mitram et cantatur prima Lectio. Interim accedunt duo

¹ Ostiarii fiunt: a) sabbatis quatuor Temporum, post primam lectionem; b) sabbato *Sitientes* et dominicis in quibus non dicitur *Gloria in excelsis*, post *Kyrie, eleison* cum ceteris minoribus ordinibus; c) in dominicis et festis per annum, post *Gloria in excelsis*, item reliqui omnes ordines minores.

Capellani, cum libro et candela, ante Pontificem, qui sedens cum mitra, ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus finitis, surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium, ante medium Altaris sibi praeparatum, proficiscitur, et in illo sedet renibus Altari versis. Archidiaconus vocat ordinandos, dicens:

Accedant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum.

Et mox notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet: *Adsum*.

Omnibus in superpelliceis cum candelis in manibus coram Pontifice genuflexis, Pontifex admonet illos, dicens:

Suscepturi, filii carissimi, officium Ostiariorum, videte, quae in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam; aperire Ecclesiam et sacrarium: et librum aperire ei qui praedicat. Providete igitur ne, per negligentiam vestram, illarum rerum quae intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat, certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus, et semper claudatis infidelibus. Studete etiam, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperitis, et clauditis; sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo, et aperiatis Deo; ut divina verba quae audierint corde retineant, et opere compleant: quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam.

Hae admonitiones non fiunt Cardinalibus, neque electis Episcopis.

Deinde Pontifex accipit, et tradit omnibus claves Ecclesiae, quas successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente:

Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.

Post haec, Archidiaconus, sive alius Archidiaconi vice fungens, ducit eos ad ostium Ecclesiae, et facit illos claudere, et aperire: tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos campanas pulsare: deinde illos reducit ad Pontificem; quibus coram Pontifice genua flectentibus, stans cum mitra Pontifex versus ad ipsos ordinatos, dicit:

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos bene ✠ dicere dignetur, quos in officium Ostiariorum eligere dignatus est; ut sit eis fidelissima cura in Domo Dei, diebus ac noctibus, ad distinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini, adiuvante Domino nostro Iesu Christo, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℣. Amen.

Tum, mitra deposita, stans Pontifex et conversus ad altare, dicit:

Oremus.

Et ministri subiungunt:

Flectamus genua.

℣. Levate.

Et statim versus ad illos genuflexos, stans sine mitra, dicit:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Ostiariorum; ut inter ianitores Ecclesiae tuo pareant obsequio, et inter electos tuos, partem tuae mereantur habere mercedis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℣. Amen.

Post haec ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

DE ORDINATIONE LECTORUM ¹

Pro lectoribus ordinandis paretur liber lectionum.

Ostiaariis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium a parte Epistolae. Interim cantatur primum Graduale, vel primum *Alleluia*, si sit infra Octavam Pentecostes: et Pontifex sedens cum mitra, oblatis sibi libro et candela, legit dictum Graduale, vel *Alleluia*. Quibus dictis, surgit, deposita mitra, et versus ad Altare cantat secundam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur secunda Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra, ex eo legit Lectionem

¹ Lectores fiunt: a) sabbatis quatuor Temporum, post secundam lectionem; b) sabbato *Sitientes* et dominicis in quibus non dicitur *Gloria in excelsis*, post *Kyrie, eleison*, cum aliis minoribus ordinibus; c) in dominicis et festis per annum, post *Gloria in excelsis*, una cum aliis minoribus ordinibus.

ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad falditorium ante medium Altaris positum, ubi sedet cum mitra, et lectores vocantur per Archidiaconum, hoc modo:

Accedant qui ordinandi sunt ad officium Lectorum.

Et mox nominantur per notarium, ut supra dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos dicens:

Electi, filii carissimi, ut sitis Lectores in domo Dei nostri, officium vestrum agnoscite et implete. Potens est enim Deus, ut augeat vobis gratiam perfectionis aeternae. Lectorem siquidem oportet legere ea quae (*vel ei qui*) praedicat et Lectiones cantare; et benedicere panem et omnes fructus novos. Studete igitur verba Dei, videlicet Lectiones sacras distincte et aperte, ad intelligentiam et aedificationem fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum Lectionum, incuria vestra, ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis corde credatis, atque opere compleatis, quatenus auditores vestros, verbo pariter et exemplo vestro docere possitis. Ideoque dum legitis, in alto loco Ecclesiae stetis, ut ab omnibus audiamini et videamini, figurantes positione corporali, vos in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audimini et videmini, coelestis vitae formam praebeatis: quod in vobis Deus impleat per gratiam suam.

Deinde Pontifex accipit et tradit omnibus codicem de quo lecturi sunt, quem manu dextera tangunt, dicens:

Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.

Quibus expeditis et illis genuflexis, Pontifex stans cum mitra, versus ad eos, dicit:

Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem ut super hos famulos suos, quos in ordinem Lectorum dignatus est assumere, bene \times dictionem suam clementer effundat, quatenus distincte legant, quae in Ecclesia Dei legenda sunt, et eadem operibus impleant. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

\mathcal{R} . Amen.

Tum Pontifex, mitra deposita, stans conversus ad altare dicit:

Oremus.

Et Ministri subiungunt:

Flectamus genua. \mathcal{R} . Levate.

Deinde conversus ad ordinatos genuflexos dicit, sine mitra:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene \times dicere dignare hos famulos tuos in officium Lectorum, ut assiduitate lectionum instructi sint atque ordinati, et agenda dicant, et dicta opere impleant, ut in utroque sanctae Ecclesiae exemplo sanctitatis suae consulant. Per

Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Postea, suggerente Archidiacono, redeunt ordinati ad loca sua.

DE ORDINATIONE EXORCISTARUM¹

Pro Exorcistis ordinandis paretur liber exorcismorum; cuius loco dari potest Pontificale vel Missale.

Lectoribus ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, in cornu Epistolae, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candelam, legit secundum Graduale, vel secundum *Alleluia*, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim cantatur a Choro ipsum Graduale, vel *Alleluia*. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad Altare, cantat tertiam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur tertia Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candelam ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, revertitur ad faldistorium ante altare, et sedet cum mitra. Exorcistae vero vocantur per Archidiaconum modo consueto, dicentem:

Accedant qui ordinandi sunt ad officium Exorcistarum.

Et ipsi singulatim nominantur per notarium, ut prius dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

¹ Exorcistae fiunt: a) sabbatis quatuor Temporum, post tertiam lectionem; b) sabbato *Sitientes* et dominicis in quibus non dicitur *Gloria in excelsis*, una cum aliis minoribus ordinibus, post *Kyrie, eleison*; c) in dominicis et festis per annum, post *Gloria in excelsis*.

Ordinandi, filii carissimi, in officium Exorcistarum, debetis noscere quid suscipitis. Exorcistam etenim oportet abiicere daemones, et dicere populo, ut qui non communicat, det locum; et aquam in ministerio fundere. Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos, et per impositionem manuum vestrarum, gratia Spiritus Sancti, et verbis exorcismi, pelluntur spiritus immundi a corporibus obsessis. Studete igitur, ut sicut a corporibus aliorum daemones expellitis, ita a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam eiicitis: ne illis succumbatis quos ab aliis, vestro ministerio, effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare, ne in moribus vestris aliquid sui iuris inimicus valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis daemonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superatis. Quod Dominus agere concedat per Spiritum suum Sanctum.

Post haec Pontifex accipit, et tradit omnibus librum, in quo scripti sunt exorcismi; cuius loco tradi potest Pontificale, vel Missale, quem manu dextera tangunt, Pontifice dicente:

Accipite, et commendate memoriae, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.

Postea vero, omnibus devote genuflexis, Pontifex cum mitra stans, dicit:

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, supplices deprecemur, ut hos famulos suos bene ✠ dicere dignetur in officium Exorcista-

rum, ut sint spirituales imperatores ad abiiciendos daemones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℞. Amen.

Tum conversus ad Altare, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et Ministri subiungunt:

Flectamus genua. ℞. Levate.

Et mox conversus ad ordinatos genuflexos, dicit:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Exorcistarum; ut per impositionem manuum, et oris officium, potestatem et imperium habeant spiritus immundos coercendi: ut probabiles sint medici Ecclesiae tuae, gratia curationum virtuteque coelesti confirmati. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℞. Amen.

Post haec, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

DE ORDINATIONE ACOLYTHORUM¹

Pro acolythis ordinandis parentur candelabrum cum cereo extincto, et urceolus vacuus pro vino, pro Sacramento.

¹ Acolythis fiunt: a) sabbatis quatuor Temporum, post quartam lectionem; b) sabbato *Sitientes* et dominicis

Exorcistis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolae, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candelam, legit tertium Graduale, vel tertium *Alleluia*, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim a choro cantatur ipsum Graduale vel *Alleluia*. Quo finito, surgit Pontifex deposita mitra, et versus ad altare cantat quartam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur quarta Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candelam ante Pontificem, qui sedens cum mitra ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium, ante Altare, ubi sedet cum mitra. Acolythis vero vocantur per Archidiaconum:

Accedant qui ordinandi sunt ad officium Acolythorum.

Et mox nominantur per notarium, ut supra. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos dicens:

Suscepturi filii carissimi, officium Acolythorum, pensate quod suscipitis. Acolythum etenim oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiae accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare. Studete igitur susceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus praeferentes, operibus tenebrarum inserviatis, et per hoc aliis exempla perfidiae praebeatis. Sed sicut Veritas dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui

in quibus non dicitur *Gloria in excelsis*, post *Kyrie, eleison*; c) in dominicis et festis per annum, post *Gloria in excelsis*.

in coelis est. Et sicut Apostolus Paulus ait: In medio nationis pravae et perversae, lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes. Sint ergo lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis. Abiiciatis opera tenebrarum, et induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Quae sit vero ista lux, quam tantopere inculcat Apostolus, ipse demonstrat, subdens: Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia, et veritate. Estote igitur solliciti in omni iustitia, bonitate et veritate ut et vos, et alios, et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei sacrificio digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium, per castam vitam et bona opera, oblatis fueritis. Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam.

Post haec Pontifex accipit et tradit omnibus candelabrum cum candela exstincta, quod successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente:

Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari, in nomine Domini. R. Amen.

Tunc accipit, et tradit eis urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens communiter omnibus:

Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini. R. Amen.

Postea, eis genuflexis permanentibus, Pontifex stans cum mitra versus ad eos, dicit:

Deum Patrem omnipotentem, fratres carissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos bene ✠ dicere dignetur in ordine Acolythorum; quatenus lumen visibile manibus praeferentes, lumen quoque spirituale moribus praebent, adiuvante Domino nostro Iesu Christo, qui cum eo et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Tum Pontifex ad altare se convertens, deposita mitra, stans, dicit:

Oremus.

Et Ministri:

Flectamus genua. R. Levate.

Et mox Pontifex conversus ad eosdem genuflexos, dicit:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, qui per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, et Apostolos eius, in hunc mundum lumen claritatis tuae misisti; quique, ut mortis nostrae antiquum aboleret chirographum, gloriosissimae illum crucis vexillo affigi, ac sanguinem et aquam ex latere illius pro salute generis humani affluere voluisti: bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Acolythorum; ut ad accendendum lumen Ecclesiae tuae, et ad suggerendum vinum et aquam ad conficiendum sanguinem Christi Filii tui in offerenda Eucharistia, sanctis altaribus tuis fideliter subministrent. Accende, Domine, mentes eorum et corda ad amorem gratiae tuae, ut illu-

minati vultu splendoris tui, fideliter tibi in sancta Ecclesia deserviant. Per eundem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Oremus

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui ad Moysen et Aaron locutus es, ut accenderentur lucernae in tabernaculo testimonii: bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos, ut sint Acolythy in Ecclesia tua. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Oremus

Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis, et origo bonitatis, qui per Iesum Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, eiusque passionis mysterio redemisti; bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos, quos in officium Acolythorum consecramus, poscentes clementiam tuam, ut eorum mentes, et lumine scientiae illustres, et pietatis tuae rore irriges; ut ita acceptum ministerium, te auxiliante, peragant, qualiter ad aeternam remunerationem pervenire mereantur. Per eundem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Post haec, suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua.

DE SACRIS ORDINIBUS IN GENERE

Sacri et maiores Ordines, sunt Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus, ad quos ordinati omnes debent communicare: ideo parentur pro eorum numero hostiae parvae consecrandae.

DE ORDINATIONE SUBDIACONI 1

Pro ordinatione subdiaconorum parentur Calix vacuus, cum Patena superposita, Urceoli cum manutergio et liber Epistolarum.

Acolythis ordinatis, Pontifex reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolae, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candelam, legit quartum Graduale, vel quartum *Alleluia*, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim a choro cantatur ipsum Graduale, vel *Alleluia*. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad Altare cantat quintam Collectam.

Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur quinta Lectio: interim accedunt duo Capellani cum libro et candelam ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad sedem suam, ante medium altaris; et Archidiaconus versus ad ordinandos dicit:

Accedant, qui ordinandi sunt subdiaconi.

Et notarius unumquemque illorum vocat, dicens:

N. ad titulum Ecclesiae N.

N. ad titulum patrimonii sui.

Frater N. professus ordinis N. ad titulum paupertatis.

Et sic de aliis; et quilibet vocatus dicit: *Adsum*, et accedit versus Episcopum.

1 Subdiaconi fiunt: a) sabbatis quatuor Temporum, post quintam lectionem; b) sabbato *Sitientes*, c) in ordinationibus extra Tempora, immediate post collectam.

Debet autem quilibet ordinandorum in Subdiaconum indutus esse amictu non tamen super caput, alba et cingulo, habere manipulum in manu sinistra, tunicellam super brachio sinistro, et candelam in manu dextera.

Omnibus autem in Subdiaconos ordinandis competentis spatio coram Pontifice stantibus, Pontifex cum mitra sedens admonet eos, (nisi omnes sint religiosi, quia tunc ista admonitio omittitur) dicens:

Filii dilectissimi, ad sacrum Subdiaconatus ordinem promovendi iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad saecularia vota transire. Quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari; et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit; atque in Ecclesiae ministerio semper esse mancipatos. Proinde, dum tempus est, cogitate, et si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini, huc accedite.


Illis tunc accedentibus, et coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus vocat ceteros ordinandos, dicens:

Accedant qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri.


Quibus accedentibus, Archidiaconus ordinat eos, videlicet diaconandos, paratos amictu, alba, cingulo et manipulo, stolam in manu sinistra, dalmaticam super brachium sinistrum, candelam in manu dextera tenentes, contra cornu epistolae altaris, faciebus altari versis; presbyterandos paratos amictu, alba, cingulo, manipulo, stola

in modum diaconi, planetam super brachium sinistrum, mappulam albam manu sinistra et candelam dextera tenentes, contra faciem Pontificis, ac medium altaris, faciebus similiter altari versis. Quibus sic ordinatis, Pontifex mitram in capite tenens, procumbit super faldistorium, in superiori gradu, sive plano altaris paratum; et omnes ordinandi in locis super tapetia prosternunt se, ministri vero, et alii adstantes genuflectunt: et schola inchoat litanias, choro respondente; vel si officium fiat sine cantu, Pontifex dicit, ministris et Capellanis respondentibus:


LITANIAE SANCTORUM




Kyri-e e-le-i-son. R. Kyri-e e-le-i-son




Christe e-le-i-son. R. Christe e-le-i-son.




Kyri-e e-le-i-son. R. Kyri-e e-le-i-son.



Christe audi nos. R. Christe audi nos.



Christe exaudi nos. R. Christe exaudi nos.




Pater de cæ-lis De-us. R. Mi-se-rere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus,	miserere
Spiritus Sancte Deus,	miserere
Sancta Trinitas unus Deus.	miserere
Sancta Maria	ora pro nobis
Sancta Dei Genitrix	ora
Sancta Virgo virginum,	ora
Sancte Michaël,	ora
Sancte Gabriel,	ora
Sancte Raphaël,	ora
Omnes sancti Angeli et Archangeli,	orate
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines,	orate pro nobis
Sancte Ioannes Baptista,	ora
Sancte Ioseph,	ora
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae,	orate
Sancte Petre,	ora pro nobis
Sancte Paule,	ora
Sancte Andrea,	ora
Sancte Iacobe,	ora
Sancte Ioannes,	ora
Sancte Thoma,	ora
Sancte Iacobe,	ora
Sancte Philippe,	ora

Sancte Bartolomaeae,	ora
Sancte Matthaeae,	ora
Sancte Simon,	ora
Sancte Thaddaeae,	ora
Sancte Matthia,	ora
Sancte Barnaba,	ora
Sancte Luca,	ora
Sancte Marce,	ora
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae,	orate pro nobis
Omnes sancti Discipuli Domini,	orate
Omnes sancti Innocentes,	orate
Sancte Stephane,	ora
Sancte Laurenti,	ora
Sancte Vincenti,	ora
Sancti Fabiane et Sebastiane,	orate
Sancti Ioannes et Paule,	orate
Sancti Cosma et Damiane,	orate
Sancti Gervasi et Protasi,	orate
Omnes sancti Martyres,	orate
Sancte Silvester,	ora
Sancte Gregori,	ora
Sancte Ambrosi,	ora
Sancte Augustine,	ora
Sancte Hieronyme,	ora
Sancte Martine,	ora
Sancte Nicolae,	ora
Omnes sancti Pontifices et Confessores,	orate pro nobis
Omnes sancti Doctores,	orate
Sancte Antoni,	ora
Sancte Benedicte,	ora
Sancte Bernarde,	ora
Sancte Dominice,	ora


Sancte Francisce,	ora
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae,	orate
Omnes sancti Monachi et Eremitae,	orate
Sancta Maria Magdalena,	ora
Sancta Agatha,	ora
Sancta Lucia,	ora
Sancta Agnes,	ora
Sancta Caecilia,	ora
Sancta Catharina,	ora
Sancta Anastasia,	ora
Omnes Sanctae Virgines et Viduae,	orate
Omnes Sancti et Sanctae Dei,	
intercedite pro nobis	



Propi-ti- us esto R. Parce nobis, Domine.

Propitius esto,	exaudi nos, Domine
Ab omni malo,	libera nos, Domine
Ab omni peccato,	libera nos
Ab ira tua,	libera nos
A subitanea et improvisa morte,	libera nos
Ab insidiis diaboli,	libera nos
Ab ira et odio et omni mala voluntate,	libera nos
A spiritu fornicationis,	libera nos
A fulgure et tempestate,	libera nos
A flagello terraemotus	libera nos
A peste, fame et bello,	libera nos
A morte perpetua,	libera nos
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,	libera nos

Per adventum tuum	libera nos
Per nativitatem tuam	libera nos
Per baptismum et sanctum ieiunium tuum,	libera nos
Per crucem et passionem tuam,	libera nos
Per mortem et sepulturam tuam,	libera nos
Per sanctam resurrectionem tuam,	libera nos
Per admirabilem ascensionem tuam,	libera nos
Per adventum Spiritus Sancti paracliti,	libera nos
In die iudicii,	libera nos



Pecca-to-res, R. Te ro-gamus, audi nos.

Ut nobis parcas,	te rogamus
Ut nobis indulgeas,	te rogamus
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,	te rogamus
Ut Ecclesiam tuam sanctam' regere et conservare digneris,	te rogamus
Ut Dominum Apostolicum et omnes ecclesiasticos Ordines' in sancta religione conservare digneris,	te rogamus
Ut inimicos sanctae Ecclesiae' humiliare digneris,	te rogamus
Ut Regibus et Principibus Christianis' pacem et veram concordiam donare digneris,	te rogamus

Ut cuncto populo christiano' pacem et unitatem largiri digneris, te rogamus

Ut omnes errantes ad unitatem Ecclesiae revocare' et infideles universos ad Evangelii lumen perducere digneris, te rogamus

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio' confortare et conservare digneris, te rogamus

Ut mentes nostras' ad coelestia desideria erigas, te rogamus

Ut omnibus benefactoribus nostris' sempiterna bona retribuas, te rogamus

Ut animas nostras', fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum' ab aeterna damnatione eripias, te rogamus

Ut fructus terrae' dare et conservare digneris, te rogamus


Ut omnibus fidelibus defunctis' requiem aeternam donare digneris, te rogamus

Hic datur benedictio, sanctificatio, et consecratio per Pontificem praesentibus consecrandis, ut infra in locis propriis dicetur.


Ut nos exaudire digneris, te rogamus
Fili Dei, te rogamus




Agnus De-i, qui tollis peccata mundi, par-




ce nobis, Domi-ne.




Agnus De-i, qui tollis peccata mundi, ex-




audi nos, Domi-ne.




Agnus De-i, qui tollis peccata mundi, mi-



se-re-re no-bis.



Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.



Ky-ri-e, e-le-i-son. Christe, e-le-i-son.



Ky-ri-e, e-le-i-son.

Postquam autem dictum fuerit in litiis:
 Ut omnibus fidelibus defunctis etc.

℞. Te rogamus audi nos.

Surgit Pontifex cum mitra ab accubitu, et se ad ordinandos vertens, et baculum pastorem in sinistra manu tenens, ordinandis prostratis manentibus, dicit:

Ut hos electos bene ✠ dicere digneris.

℞. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit:

Ut hos electos bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris.

℞. Te rogamus audi nos.

Tertio dicit:

Ut hos electos bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare et conse ✠ crare digneris.

℞. Te rogamus audi nos.

Tum iterum super faldistorium procumbit, schola perficiente Litanias: *Ut nos exaudire digneris* usque ad finem. Quibus finitis, Pontifex surgens cum mitra, sedet super faldistorium ante medium altaris, et Archidiaconus dicit alta voce:

Recedant in partem, qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri.

Quibus ad aliquem locum idoneum, unde Pontificem celebrantem videre possint, transeuntibus, ad ordinationem Subdiaconorum proceditur. Illis itaque coram Pontifice, per ordinem, in modum coronae genuflexis, Pontifex admonet eos dicens:

Adepturi, filii dilectissimi, officium Subdiaconatus, sedulo attendite, quale ministerium vobis traditur. Subdiaconum oportet aquam ad mi-

nisterium Altaris praeparare, Diacono ministrare, pallas Altaris et corporalia abluere, Calicem et Patenam in usum Sacrificii eidem offerre. Oblationes quae veniunt in Altare, panes propositionis vocantur. De ipsis oblationibus tantum debet in Altare poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallae quae sunt in substratorio altaris, in alio vase debent lavari, et in alio corporales pallae. Ubi autem corporales pallae lotae fuerint, nullum aliud lintheamen debet lavari ipsaque lotionis aqua in baptisterium debet vergi. Studete itaque ut ista visibilia ministeria, quae diximus, nitide et diligentissime complentes, invisibilia horum exemplo perficiatis. Altare quidem sanctae Ecclesiae, ipse est Christus, teste Ioanne, qui in Apocalypsi sua Altare aureum se vidisse perhibet stans ante thronum, in quo, et per quem oblationes fidelium Deo Patri consecrantur. Cuius altaris pallae et corporalia sunt membra Christi, scilicet fideles Dei, quibus Dominus quasi vestimentis pretiosis circumdatur, ut ait Psalmista: Dominus regnavit, decorem indutus est. Beatus quoque Ioannes in Apocalypsi vidit Filium hominis praecinctum zona aurea, id est, Sanctorum caterva. Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, praebenda est a vobis aqua coelestis doctrinae, qua purificati, ad ornamentum Altaris, et cultum divini sacrificii redeant. Estote ergo tales qui sacrificiis divinis et Ecclesiae Dei, hoc est, corpori Christi digne servire valeatis, in vera et catholica fide fundati; quoniam, ut ait Apostolus, omne quod

non est ex fide, peccatum est, schismaticum est, et extra unitatem Ecclesiae est. Et ideo si usque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui. Si usque nunc somnolenti, amodo vigiles. Si usque nunc ebriosi, amodo sobrii. Si usque nunc inhonesti, amodo casti. Quod ipse vobis praestare dignetur, qui vivit et regnat Deus in saecula saeculorum.

R̄. Amen.

Deinde Pontifex accipit et tradit omnibus Calicem vacuum cum Patena vacua superposita, quem successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente:

Videte cuius ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.

Et Archidiaconus accipit, et tradit eis urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutergio, quae omnia similiter tangere debent.

Postea surgit Pontifex, et versus ad populum stans cum mitra dicit:

Oremus Deum, ac Dominum nostrum, fratres carissimi, ut super hos servos suos, quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat bene ✠ dictionem suam, et gratiam; ut in conspectu eius fideliter servientes, praedestinata Sancti praemia consequantur, adiuvante Domino nostro Iesu Christo, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R̄. Amen.

Tum, deposita mitra, conversus ad altare Pontifex dicit:

Oremus.

Et Ministri:

Flectamus genua. R̄. Levate.

Et mox Pontifex versus ad ordinandos genuflexos, dicit, sine mitra:

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos, quos ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es: ut eos in sacrario tuo sancto strenuos, sollicitosque coelestis militiae instituas excubitores, sanctisque Altaribus tuis fideliter subministrent: et requiescat super eos Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, et repleas eos Spiritu timoris tui, et eos in ministerio divino confirmes, ut obediens facto, ac dicto parentes, tuam gratiam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R̄. Amen.

Tum Pontifex sedens accepta mitra, amictum qui in collo ordinandorum iacet, imponit super caput singulis, dicens:

Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. R̄. Amen.

Tum immittit manipulum in sinistrum brachium cui libet, dicens:

Accipe manipulum, per quem designantur

fructus bonorum operum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

R. Amen.

Post haec, induit quemlibet tunica, et si tantum unica sit, immittit illam cuilibet solum usque ad scapulas, ac retrahens, postremum totaliter induit, dicens cuilibet:

Tunica iucunditatis, et indumento laetitiae induat te Dominus. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

R. Amen.

Postea accipit, et tradit omnibus librum Epistolarum, manu dextera simul tangentibus, dicens:

Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

R. Amen.

Omnibus expeditis, suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua; unus tamen de noviter ordinatis, tunica indutus, dicit Epistolam suo tempore.

DE ORDINATIONE DIACONI¹

Subdiaconis ordinatis, Pontifex reassumpta mitra accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolae ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candelam, legit hymnum *Benedictus es*, vel *Alleluia* cum versu *Benedictus es*, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim cantatur a choro dictus hymnus, vel *Alleluia*, cum suo

¹ Diaconi, tam in sabbatis quatuor Temporum, quam in sabbato *Sitientes*, et in ordinationibus extra Tempora, fiunt finita Epistola Missae.

versu, ut supra. Quo finito surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad Altare, dicit in competenti tono: *Gloria in excelsis Deo*, si sit infra Octavam Pentecostes, quod dum a choro perficitur sedet cum mitra, quo finito, deposita mitra, surgit, et versus ad populum, dicit: *Pax vobis*, vel *Dominus vobiscum*, si *Gloria in excelsis* non sit dicendum; et conversus ad Altare, cantat orationem Missae diei, cum oratione pro ordinatis et ordinandis, sub uno *Per Dominum nostrum*, videlicet:

Oratio

Exaudi, quaesumus, Domine, supplicum preces, et devoto tibi pectore famulantes perpetua defensione custodi; ut nullis perturbationibus impediti, liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, etc.

Finita oratione, sedet Pontifex reassumpta mitra, et oblato sibi libro et candelam, legit Epistolam. Interim per unum ex Subdiaconis noviter ordinatis cantatur Epistola. Qua finita, surgit Pontifex, et accedit ad faldistorium ante altare cum mitra, et ibi sedet. Promovendi vero ad Ordinem Diaconatus, per Archidiaconum vocantur, dicendo:

Accedant qui ordinandi sunt ad Diaconatum.

Et mox singulatim nominantur per notarium, nulla tamen facta mentione de titulo. Eis igitur amictu, alba, cingulo et manipulo paratis, ac stolam in sinistra manu et candelam in dextera, ac dalmaticam super brachium sinistrum tenentibus et in modum coronae coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus offerens illos Pontifici dicit:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hos praesentes Subdiaconos ad onus Diaconii ordinetis.

Pontifex interrogat, dicens:

Scis illos dignos esse?

Respondet Archidiaconus:

Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testifcor ipsos dignos esse ad huius onus officii.

Et Pontifex dicit:

Deo gratias.

Et ad eorum ordinationem procedit. In primis Pontifex cum mitra sedens, clero et populo annuntiat, dicens:

Auxiliante Domino Deo, et Salvatore nostro Iesu Christo, eligimus hos praesentes Subdiaconos in ordinem Diaconii. Si quis habet aliquid contra illos, pro Deo, et propter Deum cum fiducia exeat, et dicat; verumtamen memor sit conditionis suae.

Et facta aliquali mora Pontifex convertens sermonem suum ad ordinandos, admonet eos, dicens:

Provehendi, filii dilectissimi, ad leviticum ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum Ecclesiae ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare. Sane in veteri Lege ex duodecim una Tribus Levi electa est, quae speciali devotione tabernaculo Dei, eiusque sacrificiis ritu perpetuo deser-

viret. Tantaque dignitas ipsi concessa est, quod nullus, nisi ex eius stirpe, ad divinum illum cultum atque officium ministraturus assurgeret; adeo ut grandi quodam privilegio hereditatis, et Tribus Domini esse mereretur, et dici: quorum hodie, filii dilectissimi, et nomen et officium tenetis, quia in ministerium Tabernaculi testimonii, id est, Ecclesiae Dei, eligimini in levitico officio, quae semper in procinctu posita, incessabili pugna contra inimicos dimicat, unde ait Apostolus: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus. Quam Ecclesiam Dei, veluti tabernaculum, portare, et munire debetis ornatu sancto, praedicatu divino, exemplo perfecto. Levi quippe interpretatur additus, sive assumptus. Et vos, filii dilectissimi, qui ab hereditate paterna nomen accipitis, estote assumpti a carnalibus desideriis, a terrenis concupiscentiis, quae militant adversus animam: estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei ut digne addamini ad numerum ecclesiastici gradus; ut hereditas, et Tribus amabilis Domini esse mereamini. Et quia comministri, et cooperatores estis corporis et sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura: Mundamini, qui fertis vasa Domini. Cogitate beatum Stephanum, merito praecipuae castitatis ab Apostolis ad officium istud electum. Curate, ut quibus Evangelium ore annuntiat, vivis operibus exponatis ut de vobis dicatur: Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizan-

tium bona. Habete pedes vestros calceatos Sanctorum exemplis, in praeparatione Evangelii pacis. Quod vobis Dominus concedat per gratiam suam. *R.* Amen.

Deinde, si non sint ordinati Subdiaconi, ordinandi omnes prosternunt se, ubi genuflectebant, et Pontifice ante faldistorium suum genuflectente, dicuntur Litaniae et ordinandi per Pontificem benedicuntur, prout supra, in ordinatione Subdiaconi, dictum est. Post haec ordinandis ab accubitu surgentibus, genuflexis tamen manentibus, Pontifex, sedens in faldistorio cum mitra, intelligibili voce alloquitur clerum et populum, dicens:

Commune votum, communis oratio prosequatur, ut hi totius Ecclesiae prece, qui ad Diaconatus ministerium praeparantur, leviticae bene \times dictionis ordine clarescant et spirituali conversatione praefulgentes, gratia sanctificationis eluceant: praestante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, in saecula saeculorum.

R. Amen.

Deinde, surgens cum mitra Pontifex, stans versus ad ordinandos dicit, alta voce legendo:

Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad officium Diaconatus dignatur assumere, benedictionis suae gratiam clementer effundat, eisque consecrationis indultae propitius dona conservet, et preces nostras clementer exaudiat: ut quae nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio; et quos sacris mysteriis exsequendis pro nostra intelligentia credimus offerendos,

sua bene \times dictione sanctificet, et confirmet. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eo et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus.

Deinde, deposita mitra, extensis manibus ante petus, dicit.

Per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habemus ad Dominum.

V. Gratias agamus Domino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, honorum dator, ordinumque distributor, atque officiorum dispositor, qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponis per verbum, virtutem, sapientiamque tuam, Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia praeparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cuius corpus, Ecclesiam videlicet tuam coelestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam in augmentum templi tui crescere, dilatarique largiris; sacri muneris servitutem trinigradibus ministrorum nomini tuo militare constituens; electis ab initio Levi filiis qui in mysticis operationibus domus tuae fidelibus excu-

biis permanentes, hereditatem benedictionis aeternae sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos, quaesumus, Domine, placatus intende, quos tuis sacris altaribus servituros in officium Diaconatus, suppliciter dedicamus. Et nos quidem tamquam homines divini sensus et summae rationis ignari, horum vitam, quantum possumus, aestimamus. Te autem, Domine, quae nobis sunt ignota non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor es secretorum; tu scrutator es cordium. Tu horum vitam coelesti poteris examinare iudicio, quo semper praevalēs, et admissa purgare, et ea quae sunt agenda concedere.

Hic solus Pontifex manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando, dicens cuilibet, sine cantu:

Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus eius. In nomine Domini.

Postea, extensam tenens manum dexteram, dicit verba formae sacramentalis sine cantu:

Emitte in eos, quaesumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi, septiformis gratiae tuae munere roborentur.

Et prosequitur [in tono Praefationis] usque in finem Praefationis, extensam tenens manum dexteram (quae extensio non est de valore):

Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae

puritas, et spiritualis observantia disciplinae. In moribus eorum praecepta tua fulgeant; ut suae castitatis exemplo, imitationem sanctam plebs acquirat; et bonum conscientiae testimonium praeferentes, in Christo firmi et stabiles perseverent; dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus possit audiri:

Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℞. Amen.

Post haec, Pontifex, sedens cum mitra cuilibet ordinato ante se genuflexo, stolam quam singuli in manu habent, imponit, successive super humerum sinistrum, dicens singulis:

Accipe stolam ✠ candidam de manu Dei; adimple ministerium tuum; potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum.

℞. Amen.

Faciens super quemlibet eorum signum Crucis, et Ministri reflectent capita stolae, et alligent sub brachio dextro.

Post haec Pontifex, accipiens dalmaticam, induit ea quemlibet successive, usque ad humeros, et sic fit usque ad ultimum, quem ea totaliter induit; et hoc, si una tantum sit dalmatica. Si vero quilibet suam habet, tunc singulos sua totaliter induit, dicens cuilibet:

Induat te Dominus indumento salutis et vestimento laetitiae, et dalmatica iustitiae circumdet te semper. In nomine Domini.

R. Amen.

Postremo, Pontifex accipit et tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, dicens:

Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. R. Amen.

Quo facto, Pontifex stans ad Altare conversus dicit sine mitra:

Oremus.

Et Ministri:

Flectamus genua. R. Levate.

Et vertens se ad ordinatos, dicit:

Exaudi, Domine, preces nostras, et super hos famulos tuos Spiritum tuae bene \times dictionis emitte; ut coelesti munere ditati, et tuae maiestatis gratiam possint acquirere, et bene vivendi aliis exemplum praebere. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Oremus

Domine sancte, Pater fidei, spei et gratiae, et profectuum remunerator, qui in coelestibus et terrenis Angelorum ministeriis ubique dispo-

sitis per omnia elementa voluntatis tuae diffundis effectum, hos quoque famulos tuos, spirituali dignare illustrare affectu: ut tuis obsequiis expediti, sanctis altaribus tuis ministri puri accrescant; et indulgentia tua puriores, eorum gradu, quos Apostoli tui in septenarium numerum, beato Stephano duce ac praevio, Spiritu Sancto auctore, elegerunt, digni existant; et virtutibus universis quibus tibi servire oportet, instructi, tibi complacent. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Deinde cum tempus fuerit, aliquis de noviter ordinatis dalmatica indutus, Evangelium dicit. Ordinati autem statim, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

DE ORDINATIONE PRESBYTERI¹

Pro ordinatione Presbyterorum parentur oleum Catechumenorum, Calix cum vino et aqua, Patena et Hostia desuper posita, medulla panis et bacile cum buccali pro manibus abluendis, quas singuli ad suas mappulas extergunt.

Diaconis ordinatis, Pontifex ad sedendum in sede sua vel in faldistorio in plano iuxta cornu Epistolae ac-

¹ Presbyteri fiunt: a) infra octavam Pentecostes, ante ultimum versum Sequentiae, ceteris vero sabbatis Temporum et sabbato *Sitientes*, ante ultimum versum Tractus; b) in ordinationibus extra Tempora, idem ut supra si ordinatio fiat inter Pascha et Pentecosten; si vero inter Pentecosten et Septuagesimam, ante Ψ . *Alleluia*.

cedit, et cantatur Tractus, usque ad ultimum versum exclusive: vel si sit infra Octavam Pentecostes Tractus, et Sequentia, usque ad ultimum versum exclusive. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit ipsum Tractum et Sequentiam, usque ad ultimum versum exclusive. Deinde Pontifex cum mitra revertitur ante Altare, ubi sedet super faldistorium.

Tunc Archidiaconus vocat ordinandos voce intelligibili, dicens:

Accedant qui ordinandi sunt ad Ordinem Presbyteratus.

Et mox nominatim leguntur per notarium, prout supra dictum est, nulla tamen de titulo facta mentione. Tunc illi, more Diaconorum parati amictu, alba, cingulo, stola et manipulo, tenentes planetas super brachium sinistrum complicatas, et in manu dextera candelas, ac mappulas albas pro ligandis et lavandis manibus, ad Pontificem accedunt, et coram eo in modum coronae se disponunt. Tunc Archidiaconus praesentat ordinandos Pontifici dicens:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hos praesentes Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis.

Et Pontifex interrogat, dicens:

Scis illos esse dignos?

Respondet Archidiaconus:

Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor ipsos dignos esse ad huius onus officii.

Pontifex dicit:

Deo gratias.

Et annuntiat clero et populo, dicens:

Quoniam, fratres carissimi, rectori navis, et navigio deferendis eadem est, vel securitatis ratio, vel communis timoris, par eorum debet esse sententia quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra a Patribus institutum, ut de electione illorum qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus: quia de vita et conversatione praesentandi, quod nonnumquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis; et necesse est, ut facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum praebuerit ordinando. Horum siquidem Diaconorum in Presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum conversatio (quantum mihi videtur) probata, et Deo placita existit, et digna (ut arbitror) ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortasse, vel paucos, aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis; et his testimonium Sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua, tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, et propter Deum cum fiducia exeat, et dicat; verumtamen memor sit conditionis suae.

Postea Pontifex, facta aliqua mora, convertens sermonem suum ad ordinandos, admonet eos dicens:

Consecrandi, filii dilectissimi, in Presbyteratus officium, illud digne suscipere, ac susceptum laudabiliter exsequi studeatis. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare

et baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum, ut coelestis sapientia, probi mores, et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendent. Unde Dominus praecipiens Moysi, ut septuaginta viros de universo Israël in adiutorium suum eligeret, quibus Spiritus Sancti dona divideret, suggessit: Quos tu nosti, quod senes populi sunt. Vos siquidem in septuaginta viris et senibus signati estis: si per Spiritum septiformem, Decalogum legis custodientes probi et maturi in scientia similiter et opere eritis. Sub eodem quoque mysterio, et eadem figura in novo Testamento Dominus septuaginta duos elegit, ac binos ante se in praedicationem misit, ut doceret verbo simul et facto, ministros Ecclesiae suae, fide et opere debere esse perfectos, seu geminae dilectionis, Dei scilicet et proximi, virtute fundatos. Tales itaque esse studeatis, ut in adiutorium Moysi et duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet catholicorum qui per Moysen, et Apostolos figurantur, digne, per gratiam Dei, eligi valeatis. Hac certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur ornatur et regitur; cum alii in ea Pontifices, alii minoris ordinis Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi, diversorum ordinum viri consecrantur; et ex multis, et alternae dignitatis membris unum corpus Christi efficitur. Itaque, filii dilectissimi, quos ad nostrum adiutorium, fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus vestris, castae et sanctae vitae integritatem. Agnoscite quod agitis; imitamini quod tractatis; quatenus mortis Do-

minicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi; ut praedicatione, atque exemplo aedificetis domum, id est, familiam, Dei; quatenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur. Quod ipse nobis concedat per gratiam suam.

R̄. Amen.

Si non sint factae ordinationes Subdiaconorum vel Diaconorum, dicuntur Litaniae, ut supra in ordinatione Subdiaconorum dictum est.

Post haec, surgunt omnes, et ordinandis coram Pontifice binis successive genuflectentibus, Pontifex stans ante faldistorium suum cum mitra, et nulla oratione nulloque cantu praemissis:

imponit simul utramque manum super caput cuiuslibet ordinandi successive, nihil dicens.

Idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes qui adsunt, quorum tres aut plures planetis, vel saltem cum stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent. Quo facto, tam Pontifex, quam Sacerdotes, tenent manus dexteris extensas super illos. Et Pontifex, stans cum mitra, dicit:

Oremus, fratres carissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad Presbyterii munus elegit, coelestia dona multiplicet; et quod eius dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum.

R̄. Amen.

Pontifex, deposita mitra conversus ad altare, dicit:

Oremus.

Et Ministri:

Flectamus genua. *R.* Levate.

Et mox conversus ad ordinandos, dicit:

Exaudi nos, quaesumus, Domine Deus noster, et super hos famulos tuos bene ✠ dictionem Sancti Spiritus, et gratiae sacerdotalis infunde virtutem, ut quos tuae pietatis adspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus.

Tum, extensis manibus ante pectus, dicit:

Per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habemus ad Dominum.

V. Gratias agamus Domino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum et, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, honorum auctor et distributor omnium dignitatum; per quem proficiunt universa, per quem cuncta formantur, amplificatis semper in melius naturae rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et sacerdotales

gradus atque officia Levitarum, sacramentis mysticis instituta creverunt: ut cum Pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis et operis adiumentum, sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes, Moysi spiritum propagasti; quibus ille adiutoribus usus, in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic et in Eleazarum et Ithamarum filios Aaron paternae plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutes et frequentioris officii sacramenta, ministerium sufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui Doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis praedicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostrae, Domine, quaesumus, haec adiumenta largire, qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus.

Postea dicit verba formae sacramentalis, quae dici debet sine cantu, extensis ante pectus manibus:

Da, quaesumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis, ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant, censuramque morum exemplo suae conversationis insinuent.

Et prosequitur cum cantu:

Sint providi cooperatores ordinis nostri; eluceat in eis totius forma iustitiae, ut bonam rationem dispensationis sibi creditae reddituri, aeternae beatitudinis praemia consequantur.

Quod sequitur, legat submissa voce, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit:

Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

Pontifex sedet, accepta mitra, et reflectit orarium sive stolam ab humero sinistro cuiuslibet, capiens partem quae retro pendet, et imponens super dexterum humerum, aptat eam ante pectus, in modum crucis, singulis dicens:

Accipe iugum Domini; iugum enim eius suave est, et onus eius leve.

Postea, imponit cuiuslibet successive casulam usque ad scapulas, quam quilibet teneat super humeros complicatam, a parte anteriori deorsum dependentem, singulis dicens:

Accipe vestem sacerdotalem, per quam caritas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi caritatem, et opus perfectum. *R.* Deo gratias.

Surgit Pontifex sine mitra, et omnibus genua flectentibus, dicit:

Deus sanctificationum omnium auctor, cuius vera consecratio, plenaque benedictio est, tu, Domine, super hos famulos tuos, quos ad Presbyterii honorem dedicamus, munus tuae benedictionis infunde, ut gravitate actuum, et censura vivendi probent se seniores, his instituti disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus expo-

suit; ut in lege tua die ac nocte meditantes, quod legerint, credant; quod crediderint, doceant; quod docuerint, imitentur; iustitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, ceterasque virtutes in se ostendant; exemplo praebeant; admonitione confirmant; ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodiant; et in obsequium plebis tuae, panem et vinum in corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transformant; et inviolabili caritate in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, in die iusti et aeterni iudicii Dei, conscientia pura, fide vera, Spiritu Sancto pleni resurgant. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

Tunc Pontifex, sine mitra, ante Altare conversus, flexis genibus incipit alta voce, schola prosequente, hymnum.

7



Ve-ni, Cre-a-tor Spi-ri-tus, Men-
tes tu-o-rum vi-si-ta: Imple su-per-na
gra-ti-a Quæ tu cre-a-sti pecto-ra.

Surgit Pontifex, et facit ut in fine hymni habetur; interim schola prosequitur hymnum; qui, si propter ordinatorum multitudinem necesse fuerit, repetatur, omisso primo versu.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellans longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te praevio.
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In saeculorum saecula. R̄. Amen.

Dicto primo versu, surgit Pontifex, et sedet in faldistorio cum mitra; et depositis chirothecis, et annulo Pontificali reassumpto, ponitur ei gremiale, sive mappula super gremium, et singuli ordinati successive coram eo genua flectunt; et Pontifex cum oleo catechumenorum

inungit unicuique ambas manus simul iunctas, in modum Crucis, producendo cum pollice suo dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet, a pollice dexteræ manus usque ad indicem sinistrae, et a pollice sinistrae usque ad indicem dexteræ, unguendo mox totaliter palmas, dicens, dum quemlibet inungit:

Consecrare et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem, et nostram bene ✠ dictionem. R̄. Amen.

Pontifex producit manu dextera signum crucis super manus ordinati et prosequitur:

Ut quaecumque benedixerint, benedicantur; et quaecumque consecraverint, consecrentur et sanctificentur, in nomine Domini nostri Iesu Christi.

Et quilibet ordinatus respondet:

Amen.

Tunc Pontifex claudit, seu iungit manus cuilibet successive, quas sic consecratas aliquis Ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet dexteram super sinistram, alligat, et mox unusquisque ad ordinem suum redit: et sic clausas et alligatas manus tenet. Omnium manibus unctis et consecratis, Pontifex pollicem mica panis tergit: tum tradit cuilibet successive Calicem cum vino et aqua, et Patenam superpositam cum Hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam Calicis et Patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente:

Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini. R̄. Amen.

His peractis Pontifex lavat manus cum medulla panis, et aqua lotionis huiusmodi proicitur in sacrarium. Deinde cum mitra revertitur ad sedem suam, vel ad faldistorium in cornu Epistolae, in plano sibi paratum, ubi sedet cum mitra. Et chorus cantat ultimum versum Tractus, Sequentiae, sive *Alleluia*. Interim accedunt duo Capellani ante Pontificem cum libro et candela, qui ex eo legit dictum ultimum versum Tractus, vel Sequentiae, sive *Alleluia*, legit etiam secrete *Munda cor meum*, atque Evangelium.

Interea unus ex Diaconis noviter ordinatis accedit ad altare cum textu Evangelii ante pectus, et dicit: *Munda cor meum* etc. Et cantat Evangelium. Interim parantur per Ministros hostiae super Altare, pro numero ordinatorum in ordinibus sacris, qui omnes communicare debent, et proceditur in Missa ordine solito. Interea dum Offertorium cantatur, vel etiam prius, ordinati Sacerdotes poterunt lavare manus suas cum medulla panis et aqua bene mundare, atque extergere mappulis illis quibus ligatae erant, et aqua ablutionis huiusmodi proiciatur in sacrarium.

Pontifex vero, Offertorio lecto, accepta mitra, vadit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedens, accipit offertorium ab omnibus ordinatis, qui omnes accedunt bini ad Pontificem, coram quo genuflexi offerunt illi singulas candelas accensas, et osculantur eius manum primo Presbyteri, tum Diaconi successive, et alii suo ordine.

Accepto singulorum Offertorio, Pontifex lavat manus et surgit sine mitra, ac tollitur faldistorium, et prosequitur Missam.

Presbyteri vero ordinati, post Pontificem, vel hinc et inde, ubi magis commodum erit, in terra genuflexi, habeant libros coram se, dicentes:

Suscipe, sancte Pater etc.; et omnia alia de Missa, prout dicit Pontifex: qui tamen bene advertat, quod Secretas morose dicat, et aliquantulum alte; ita ut ordi-

nati Sacerdotes possint secum omnia dicere, et praesertim verba consecrationis, quae dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem.

ORDINARIUM MISSAE¹

Suscipe, sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

[Dum Pontifex mittit aquam in Calicem]²

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per huius aquae et vini mysterium, eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Iesus Christus Filius tuus Dominus noster: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

[Dum Pontifex offert Calicem]

Offerimus tibi, Domine, Calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu

¹ Ex Missali desumptum est, cum in Pontificali desideretur.

² His uncis [] includitur textus in rubricis non explicite contentus.

divinae Maiestatis tuae pro nostra et totius mundi salute, cum odore suavitatis ascendat. Amen.

[Post oblationem Calicis]

In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Veni, Sanctificator omnipotens, aeternae Deus: et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.³

[Dum Pontifex lavat manus]

Lavabo, inter innocentes, manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine.

³ Ad benedictionem incensi, si nempe fiat Officium cum cantu, (alioquin omittitur, et Pontifex statim procedit ad abluendas manus):

Per intercessionem beati Michaëlis Archangeli stantis a dextris altaris incensi et omnium electorum suorum incensum istud dignetur Dominus benedicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dum Pontifex incensat oblata

Incensum istud a te benedictum, ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Dum incensat altare

Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis.

Dum reddit thuribulum Diacono

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam aeternae caritatis. Amen.

Ut audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae: et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, et nunc et semper: et in saecula saeculorum. Amen.

[Post ablutionem manuum]

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Iesu Christi Domini nostri, et in honorem beatæ Mariae semper Virginis, et beati Ioannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem; et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

[Dum Pontifex vertit se ad populum]

Orate, fratres: ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

[Circumstantes respondent]:

Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiae suae sanctae.

[Ordinati dicunt]:

Amen.

[Dicitur Secreta Missae diei,⁴ et post eam, sub uno *Per Dominum*, Secreta sequens].

Tuis, quaesumus, Domine, operare mysteriis, ut haec tibi munera dignis mentibus offeramus. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in uni-

⁴ SECRETAE praecipuae quae a neo-presbyteris dicuntur:

1^o Sabbato Quatuor Temporum Adventus. — Sacrificiis praesentibus, quaesumus, Domine, placatus intende, ut et devotioni nostrae proficiant et saluti.

2^o Sabbato Quatuor Temporum Quadragesimae. — Praesentibus sacrificiis, quaesumus, Domine, ieiunia nostra sanctifica, ut quod observantia nostra profitetur exterius, intrinsecus operetur.

3^o Sabbato ante Dominicam Passionis. — Oblationibus nostris, quaesumus, Domine, placare susceptis, et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates.

4^o Sabbato post Pentecosten. — Ut accepta tibi sint, Domine, nostra ieiunia, praesta nobis, quaesumus, huius munere sacramenti purificatum tibi pectus offerre.

5^o Die Festo Ss. App. Petri et Pauli (29 iun.). — Hostias, Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, apostolica prosequatur oratio, per quam nos expiari tribuas, et defendi.

6^o Sabbato Quatuor Temporum Septembris. — Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut oculis tuae maiestatis munus oblatum, et gratiam nobis devotionis obtineat, et effectum beatæ perennitatis acquirat.

tate Spiritus sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

[Dicuntur commemorationes forte praescriptae]⁵

PRAEFATIO.⁶

Per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habemus ad Dominum.

V. Gratias agamus Domino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

⁵ Commemorationes propriae sumi debent in Missali.

⁶ PRAEFATIONES PRAECIPUAE:

1^o Communis. — Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, per Christum Dominum nostrum; per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates; coeli coelorumque Virtutes, ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes:

2^o In Quadragesima. — Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia, per Christum Dominum nostrum; per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates: coeli coelorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes:

3^o In Pentecoste. — Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, per Christum Dominum nostrum; qui ascendens super

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare etc.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

CANON MISSAE

Te igitur, clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas, et benedicas, haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata; in primis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris, toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N., et Antistite nostro N., et omnibus orthodoxis, atque catholicae et Apostolicae fidei cultoribus.

omnes coelos, sedensque ad dexteram tuam, promissum Spiritum sanctum, (hodierna die) in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudiis, totus in orbe terrarum mundus exultat: sed et supernae Virtutes, atque angelicae Potestates, hymnum gloriae tuae concinunt, sine fine dicentes:

4^o In Festis Apostolorum. — Vere dignum et iustum est, aequum et salutare, te, Domine, suppliciter exorare, ut gregem tuum, pastor aeternae, non deseras, sed per beatos Apostolos tuos, continua protectione custodias; ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti praesesse pastores. Et ideo, cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum.

[Fit commemoratio pro vivis. Deinde prosequeuntur, cum Pontefice]

Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibi que reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Communicantes⁷ et memoriam venerantes; in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi:

sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Iacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysgoni, Ioannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur⁸ oblationem servitutis nostrae,

7 COMMUNICANTES PRAECIPUI:

Sabbato IV Temp. Pentecostes. — Communicantes et diem sacratissimum Pentecostes celebrantes, quo Spiritus Sanctus Apostolis, innumeris linguis apparuit: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi...

8 Pentecostes. — Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quam tibi offeri-

sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus accipias;

diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi.

Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas; et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes:

[Verba consecrationis distincte, attente et devote ita proferantur simul cum Pontifice, ut ante ipsum nec incipiantur nec absolvantur]

Hoc est enim corpus meum.

Simili modo, postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes:

Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vo-

mus, pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quaesumus, Domine, ut placatus accipias...

his et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, eiusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatæ passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis; offerimus praeclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis, Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ aeternæ, et Calicem salutis perpetuæ.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ maiestatis tuæ; ut quotquot ex hac altaris participatione, sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione celesti, et gratia repleamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis.

[Orant aliquantulum pro defunctis, deinde proseguuntur]

Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

[Ad Nobis quoque percutitur pectus]

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia et omnibus sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor, admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et praestas nobis.

[Dum Pontifex signat cum Hostia super Calicem]

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria.

Per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere.

Pater noster, qui es in coelis: sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus de-

bitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

[Circumstantes respondent]:

Sed libera nos a malo.

[Ordinati dicunt]:

Amen.

Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus, et futuris, et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiae tuae adiuti et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi.

[Dum Pontifex frangit Hostiam]

Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

Per omnia saecula saeculorum. *R.* Amen

V. Pax Domini sit semper vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

[Dum immittitur particula Hostiae in Calicem]

Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

[Mediocriter inclinati ter percutiunt pectus]

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.

[Mediocriter inclinati dicunt]:

Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam de vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae: eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis, et regnas, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Cum Pontifex dixerit Orationem, DOMINE IESU CHRISTE, QUI, etc. osculatur altare, et dat primo ex singulis ordinatis cuiuslibet ordinis sacri ad eum successive accedenti, et altare prius ad dexteram Pontificis deosculanti, pacem, dicens:

Pax tecum.

Cui ille respondet:

R. Et cum spiritu tuo.

Et quilibet illorum dat sequenti sui ordinis secum ordinato, et ille alteri; et sic usque ad ultimum continuatur. Si autem ordinatorum parvus sit numerus, Pontifex poterit dare pacem singulis.

[Mediocriter inclinati prosequuntur]:

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis et a te numquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas, Deus, in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

[Percutiendo pectus, ter dicunt]

Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

[Dum Pontifex signat cum Hostia]

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

[Dum Pontifex se communicat, devote cum ipso quiescunt in meditatione Ssni Sacramenti, deinde dicunt]:

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

[Dum Pontifex signat se Calice]

Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

[Dum Pontifex pretiosum Sanguinem sumit, piam ad Christum excitant mentem]

Postquam vero Pontifex se communicaverit, et totum Sanguinem sumpserit, priusquam digitos abluat, accedunt ante altare Presbyteri, deinde Diaconi, tandem Subdiaconi; quibus ordinate dispositis et genuflexis, Pontifex, facta reverentia Sacramento, et aliquantulum versus cornu Evangelii se retrahens, ad eos se convertit, et singuli ex Diaconis et Subdiaconis tantum dicunt submissa voce (post communionem Presbyterorum⁹): CONFITEOR DEO, etc. Et si Officium fiat in cantu, unus de noviter ordinatis illud cantat.

Et Pontifex stans, capite detecto, versus ad eos dicit intelligibili voce, nisi Officium fiat in cantu.

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducatur vos ad vitam aeternam. R. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. R. Amen.

Et manu dextera signum crucis super eos communiter producit. Presbyteri ante communionem non dicunt confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici.

Tum accedunt ordinati ad supremum gradum altaris, bini et bini. Pontifex vero ponit plures hostias consecratas super patenam, quam ori cuiuslibet communicandi supponit, cuilibet dicens:

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam.¹⁰

Quilibet respondet:

Amen.

⁹ S. R. C., decr. 2682, ad 10; decr. 2721, ad 2.
¹⁰ Haec formula omittenda est pro neopresbyteris. S. R. C. decr. 2089, ad 4; 3274; 3721.

Et priusquam communionem sumat, manum Pontificis Hostiam tenentem osculatur.

Unus ministrorum Pontificis stat iuxta cornu Epistolae altaris, Calicem habens, non illum cum quo Pontifex celebravit, sed alium cum vino, et mappulam mundam in manibus, ad quem singuli communicati accedunt, et se purificant, os extergunt, et ad partem se locant. Omnibus communicatis, Pontifex extergit patenam super calicem suum, super eum digitos abluit, sumit ablutionem, accipit mitram, et lavat manus.

[Dum Pontifex sumit purificationem, finita Communione]


Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus; et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

[Dum Pontifex abluit digitos]


Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis quem potavi, adhaereat visceribus meis: et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

FINIS ORDINATIONIS


Pontifex, lotis manibus, mitra deposita stans in cornu Epistolae altaris, versus ad illud, inchoat in cantu, schola prosequente, Responsorium, quod a Septuagesima usque ad Pascha dicitur sine *Alleluia*.




Jam non dicam * vos servos,



sed ami- cos me- os, qu- ia




omni- a cogno- vi- stis quæ o- pe- ratus




sum in me- di- o ve- stri. [Alle- lu-




ia.] * Acci- pi- te Spi- ritum Sanctum




in vo- bis Pa- ra- cli- tum. † Il-




le est quem Pa- ter mit- tet vo-




bis. [Alle- lu- ia.] v. Vos ami- ci




me- i e- stis, si fece- ri- tis quæ e-




go præ- ci- pi- o vo- bis.




* Acci- pi- te Spi- ri- tum Sanctum in




vo- bis Pa- ra- cli- tum. Glo-




ri- a Pa- tri, et Fi- li- o, et



Spi- ri- tu- i San- cto. † Il- le



est quem Pa- ter mit- tet vo- bis.



[Alle- lu- ia.]

Incepto Responsorio, Pontifex, accepta mitra, vertit se ad Presbyteros ordinatos, qui ante altare coram ipso stantes profitentur fidem quam praedicaturi sunt, dicentes:

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae: Et in Iesum Christum, Filium eius unicum Dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus: descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum sanctum; sanctam Ecclesiam catholicam; Sanctorum communionem; remissionem peccatorum; carnis resurrectionem; vitam aeternam. Amen.

Quo finito, Pontifex cum mitra sedens super faldistorium, ante medium altaris, imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet:

Accipe Spiritum Sanctum; quorum remis-
ris peccata, remittuntur eis; et quorum retine-
ris retenta sunt.

Deinde, explicans casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, singulis dicens:

Stola innocentiae induat te Dominus.

Et mox unusquisque iterum ad Pontificem accedit, et genuflexus ponit manus suas iunctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet, si suus est Ordinarius:

Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam?

Et ille respondet:

Promitto.

Si vero Pontifex non est suus Ordinarius, cum manus eorum inter suas tenet, ut praefertur, dicit singulis Presbyteris saecularibus:

Promittis Pontifici Ordinario tuo, etc.
Singulis vero Regularibus:

Promittis Pontifici (*vel* Praelato) Ordinario tuo, pro tempore existenti, reverentiam et obedientiam?

Et ille respondet:

Promitto.

Tunc Pontifex, tenens manus illius inter suas, osculatur unumquemque,¹¹ dicens:

Pax Domini sit semper tecum.

Et ille respondet:

Amen.

¹¹ In dextera parte vultus ordinatorum (S. R. C., decr. 2682, ad 17).

His expletis, et eis ad ordinem suum reversis, Pontifex sedens cum mitra et baculo admonet eos, dicens:

Quia res, quam tractaturi estis, satis periculosa est, filii dilectissimi, moneo vos, ut diligenter totius Missae ordinem atque Hostiae consecrationem ac fractionem et communionem, ab aliis iam doctis sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandam Missam accedatis.

Pontifex surgit cum mitra et baculo, et Presbyteris coram eo adhuc genuflexis benedicit, dicens voce competenti.

Benedictio Dei omnipotentis, Pa^{tr}is, et Fi^{li}i et Spiritus^{us} Sancti, descendat super vos; ut sitis benedicti in ordine Sacerdotali, et offeratis placabiles Hostias pro peccatis, atque offensionibus populi, omnipotenti Deo, cui est honor et gloria, per omnia saecula saeculorum.

R^{esp}. Amen.

Post haec, Pontifex, deposita mitra, et amoto faldistorio, convertitur ad altare, prosequitur Missam, et cantatur Communio.¹²

Postcommunio pro ordinatis sub unica conclusione, cum Postcommunionem Missae dicenda:

Quos tuis, Domine, reficis Sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis, ut tuae redemp-

¹² PRAECIPUAE COMMUNIONES:

1. Sabbato IV Temporum Adventus. — Exsultavit ut gigas ad currendam viam: a summo coelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius.

2. Sabbato IV Temporum Quadragesimae. — Domine Deus meus, in te speravi: libera me ab omnibus persequentibus me, et eripe me.

tionis effectum, et mysteriis capiamus, et moribus. Qui vivis et regnas, cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.¹³ R^{esp}. Amen.

[Dicuntur deinde postcommuniones vel commemorationes forte praescriptae].

Ps^{alm}. Dominus vobiscum.

R^{esp}. Et cum spiritu tuo.

Deinde dicitur *Benedicamus Domino*, vel *Ite Missa est*, prout tempus requirit, et per Pontificem:

3. Sabbato ante Dominicam Passionis. — Dominus regit me et nihil mihi deerit, in loco pascuae ibi me collocavit; super aquam refectionis educavit me.

4. Sabbato IV Temporum Pentecostes. — Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis, alleluia; sed nescis unde veniat aut quo vadat, alleluia, alleluia, alleluia.

5. In die festo Ss. App. Petri et Pauli (29 iun.). — Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

6. Sabbato IV Temporum Septembris. — Mense septimo festa celebrabitis, cum in tabernaculis habitare fecerim filios Israël, cum educerem eos de terra Aegypti, ego Dominus Deus vester.

¹³ In Pontificali R. exhibetur conclusio: Per Dominum... qui tecum vivit etc... Adhibenda est tamen conclusio: *Qui vivis* (S. R. C., decr. 2303).

OREMUS. — HUMILIATE CAPITA VESTRA DEO.

a) Sabbato IV Temporum Quadragesimae. — Fideles tuos, Deus, benedictio desiderata confirmet; quae eos et a tua voluntate nunquam faciat discrepare, et tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per Dominum nostrum.

b) Sabbato ante Dominicam Passionis. — Deus, qui sperantibus in te misereri potius eligis quam irasci; da nobis digne flere mala quae fecimus; ut tuae consolationis gratiam invenire mereamur. Per Dominum nostrum.

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta ut sacrificium quod oculis tuae maiestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihi que et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quo dicto, Pontifex, accepta mitra et baculo Pastoralis, dat benedictionem solitam dicens:

Sit nomen Domini benedictum, etc.
 V. Adiutorium nostrum, etc.

Tum sedet et alloquitur ordinatorum sub his verbis:

Filii dilectissimi, diligenter considerate Ordinem per vos susceptum, ac onus humeris vestris impositum; studete sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possitis acquirere; quam ipse vobis per suam misericordiam concedere dignetur.

Singuli ad primam Tonsuram, vel ad quatuor minores Ordines promoti, dicite semel septem Psalmos Poenitentiales, cum Litanis, Versiculis et Orationibus. Ad Subdiaconatum, *vel* Diaconatum, Nocturnum *talis* diei. Ad Presbyteratum vero ordinati, post primam vestram Missam, tres alias Missas, videlicet unam de Spiritu Sancto, aliam de beata Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate.

Quod illi devote suscipiunt et respondent se facturos.

Tum Pontifex convertit se ad altare, et dicit, submissa voce:

Dominus vobiscum.

Initium sancti Evangelii secundum Ioannem.

Signat altare et se, et revertitur ad sedem, vel ad faldistorium, ubi exiit sacris vestibus. Ordinati etiam ad Presbyteratum dicunt idem Evangelium, et in loco convenienti sacras vestes deponunt, et cum eis alii ordinati.

EVANGELIUM S. IOANNIS

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est: In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis. R. Deo gratias.

INDEX RITUUM

PRO ORDINIBUS CONFERENDIS

	PAG.
RUBRICAE PRAELIMINARES	[3]
I. DE CLERICO FACIENDO	[4]
II. DE MINORIBUS ORDINIBUS	[12]
1. De ordinatione ostiariorum	[12]
2. De ordinatione lectorum	[15]
3. De ordinatione exorcistarum	[18]
4. De ordinatione acolythorum	[20]
III. DE SACRIS ORDINIBUS IN GENERE	[24]
I. De ordinatione subdiaconi	[25]
Litaniae Sanctorum	[27]
2. De ordinatione diaconi	[38]
3. De ordinatione presbyteri	[47]
Initium ordinationis	[48]
Hymnus <i>Veni, Creator Spiritus</i>	[55]
Ordinarium Missae	[59]
Finis ordinationis	[73]

